R. Robert.

AEGIDII

CORBOLIENSIS

CARMINA MEDICA.

LIPSIAE,

EX OFFICINA J. B. HIRSCHFELDII.

AEGIDII

CORBOLIENSIS

CARMINA MEDICA

AD FIDEM MANV SCRIPTORVM CODICVM ET VETERVM EDITIONVM RECENSVIT, NOTIS ET INDICIBVS ILLVSTRAVIT

LVDOVICVS CHOVLANT

MEDICINAE DOCTOR ET IN ACADEMIA MEDICA DRESDENSI PROFESSOR.



LIPSIAE,

APVD LEOPOLDVM VOSS.

1826.

AEQUO LECTORI S.

Carmina medica Aegidii Corboliensis, saeculo XII. exeunte conscripta, iunctim nunc et ad veterum codicum fidem castigata in lucem prodire publicam, excusatione non egebit apud eos, qui monimenta veterum, primarios historiae litterariae fontes, caste servanda esse bene intelligunt. Perpauca praesertim cum illius aevi nobis supersint medica litterarum monimenta, eaque maximam partem interpolata et pessime corrupta, non exigui certe momenti erunt Aegidii nostri carmina, quae, ob metricam formam corruptioni minus obnoxia, puriora ad nos pervenerunt; quae praeterea multo minus, quam alia huius aevi scripta saeculi barbariem redolent, sed poëseos latinae imo ipsius medicinae illorum temporum specimen melioris notae exhibent. Accedit ad hoc, quod haec ipsa carmina a suis inde temporibus usque ad renatas saeculo XVI. litteras summam habuerint in scholis medicis auctoritatem, ita ut historia medicinae illis commode carere non possit ad illustrandam medii aevi doctrinam medicam. Insignem praeterea utilitatem afferunt ad cognoscendam scholae Salernitanae, Monspeliensis et Parisiensis historiam, uti bene id intellexerat Ackermann, vir summus et eorum, qui medii aevi medicinam illustrare conati sunt, facile princeps. Is vero, qui historiam pharmaciae et pharmacologiae hucusque nondum tentatam scribere secum constituerit, primarium in Aegidii carmine de compositis medicaminibus fontem mox agnoscet, et talia conanti praesertim inservire volui indice medica-

mentorum accuratissime elaborato, quem huic editioni subiunxi.

Latinitas medii aevi, ad emendandos et restituendos auctores classicos apprime necessaria et hunc ad finem iam summo studio digna, augmentum insigne capiet ex Aegidii carminibus, ex quibus facili negotio suppleri possunt Ducangii, Carpenterii, Adelungii aliorumque notissima infimae latinitatis glossaria.

Quare non tam inutile quid suscepisse mihi videbar, dum Aegidii carmina, hucusque raro et pessime impressa, curatius edenda susciperem, quam potius id maxime verebar, ut vires exiguae et doctrina admodum tenuis huic operi sufficerent, a medici practici studiis paulo longius remoto. Spero igitur, ut rei gravitas excusationi mihi sit apud aequos lectores et harum rerum vere peritos, qui non solum quid rectius fieri debuisset bene perspiciant, sed etiam quam difficulter id rectius fieri possit.

Eodem modo, uti nunc Aegidii, suo tempore prodibunt alia medici argumenti carmina, historiam medicamentorum non parum illustrantia, scilicet Othonis Cremonensis versus de electione medicamentorum simplicium et compositorum e codicibus manu scriptis emendati et duplo fere aucti, carmen de viribus herbarum, quod Aemilio Macro perperam tribuitur et Walafridi Strabonis carmen de herbis, quod inscribitur Hortulus, quae omnia uno volumine continebuntur. Vale. Scribebam Dresdae, mense Julio, MDCCCXXVI.

CHOULANT.

CONSPECTUS.

dicum tam manu scriptorum, quam impressorum Aegidii nomen absque omni praenomine legitur.

De patria Aegidii maior adhuc adest opinionum discrepantia. Graecum et quidem Atheniensem facit Aegidium *Trithemius* (de scriptorib. ecclesiast. c. 241), post eum *Paschalis Gallus* (biblioth. med. p. 6), *van der Linden* (de scriptis medicis, ed. 3, p. 9), *Mercklinius* (Lindenius renovatus, p. 14), *Wachler* (l. c.) aliique; non defuerunt quoque, qui Aegidium Atheniensem quidem vocarent, sed hac solum ex causa, quod per aliquod tempus ibi studiorum causa esset versatus, ut *Fabricius* (biblioth. lat. med. et infim. aet. p. 52), *Matthiae* (conspect. histor. medic. p. 55), *Adelung* (l. c.). Utraque sententia cum minus probata esset Withofio aliam excogitavit non magis probabilem: scilicet Atholiensem Scotum nostrum fuisse statuit (l. c. p. 5), ne unico quidem ad hanc rem probandam adducto argumento. — Anglum fuisse Aegidium refert *Lelandus* (comm. de scriptorib. Britannicis, Oxon. 1709. 8. p. 251) et ex eo *Balaeus* (scriptorum illustrium maioris Britanniae catalogus, Basil. 1557. fol. Tom. I. pag. 270); uterque vero non de nostro Aegidio loquitur, sed innuit Joannem Aegidium de Sancto Aegidio, monachum Dominicanum (vide *Fabricii* biblioth. lat. med. et infim. aetat. ed. *Mansi*, tom. I. p. 22), ut facile cuique patebit, hos autores ipsos inspiciendi. Ex hoc ipso fonte *Pitseus* aliique hauserunt, qui Aegidium nostrum pro Anglo habent, quapropter hanc quoque de patria Aegidii sententiam reiicere omni iure liceat. Nec ipse quidem *Freindius*, Anglorum notissimus de medicinae historia scriptor, Aegidium nostrum pro Anglo habet, sed Atheniensem eum facit (history of physick, Lond. 1750. 8. tom. II. p. 225; histor. medic. a *Jo. Wigan* conversa, Lugd. Bat. 1734. 8. p. 327). Cum ergo neque Graecus neque Anglus cum quadam veritatis specie haberi possit Aegidius, rectius eundem e Gallia ortum putabimus, et quidem vel Corbolii natum, vel Parisiis. Ita alius quidam Aegidius, Aegidio nostro coaevus, et ab urbe patria Parisiensis dictus, auctor poëmatis quod Carolinum inscribitur, in hoc ipso poëmate (lib. V.) de Aegidio nostro ita refert:

Cum sit et hic alius nostrae non indecor urbi,
Oris adornati, solo mihi iunctus in usu
Nominis, in reliquis maior meliorque gerendus. —
Nominis ille mei celeberrimus arte medendi
Cum sit et hic ortus, cuius facundia grata est
Et nunquam laudanda satis, nec in agmine vatum
Nominis extremos sortiri debet honores,

unde Aegidii nostri patria satis certo eruitur, sive ea ipsa sit Lutetia Parisiorum, sive Corbolium in sinistra ripa Sequanae.

De aetate Aegidii fere omnes conveniunt, si *Trithemium* exceperis, qui (l. c.) saeculo VIII. post Christum Aegidium claruisse putat. Cum vero Aegidius noster Constantinum Africanum († 1087) et Romoaldum († 1181) aliosque huius aevi medicos citaverit et paraphrasin scripserit metricam super Matthaei Platearii glossis in Nicolai Praepositi antidotarium, absque omni dubio eum in fine saeculi XII. et in initio saeculi XIII. post Christum collocabis.

De schola medica, in qua medicinam didicerit noster, nec non de ea, in qua eandem docuerit, facilior adhuc erit disputatio. Salernum, medicinae occidentalis almam matrem, Aegidius noster satis digne et ita quidem celebrat, ut gratum animum erga doctores eiusdem aperte testetur (Med. l. 2, v. 20...45, l. 3, v. 468...511, 861, 862), quamvis etiam carpat recentiores scholae Salernitanae magistros, quod minus dignis lauream doctoralem conferant (Med. l. 3, v. 564...609). Salerni igitur se medicinae studuisse Aegidius ipse refert; minus certum est, an idem quoque in schola Parisiensi et Monspeliensi fecerit, ut a quibusdam asseritur. Acriter scilicet carpit noster Monspelienses medicos (Urin. v. 346...352. Med. l. 1, v. 150, 151), ita ut facile doctorem Parisiensem agnoscas, et pervetustam utriusque scholae invidiam. Parisiis medicinam docuisse Aegidium vel ex Naudaeo (l. c.) discas, vel ex ipsius Aegidii verbis (Puls. prooem. pag. 25, lin. 120. Med. l. 1, v. 140, 141), quibus discipulos suos memorat et scholam Parisiensem.

Monachum Benedictinum fuisse Aegidium nostrum plurimi ex supra allatis scriptoribus referunt, sed his iam *Naudaeus* (l. c.) contradicit. Archiatrum vero eum fuisse apud Philippum Augustum, Galliae regem, omnes fere unanimo asserunt, et inter hos testes maxime idonei, ut *Naudaeus*, *Ducange* (ll. cc.), inter recentiores vero *Petit* in descriptione nosocomii Corboliensis (journal de médecine, 1786. Septemb. p. 390).

Scripsit de Aegidio nostro proprium duodecim paginarum opusculum *Jo. Phil. Laur.* Withof, *Nachricht von einem ehmals sehr hochgehaltnen Arzneigelehrten Aegidius Corboliensis, Duisburg*, 1751. 4.

Summis laudibus extollit Aegidium nostrum *Naudaeus* (l. c.), docte admodum et copiose de eo egit *Ackermann* (l. c.). Quae vero *Reinesius* (var. lection. l. 3, pag. 404) de Aegidio affert ex Britonis Aremorici Philippide male ad nostrum Aegidium referuntur, cum potius pertineant ad Aegidium Parisiensem, Carolini auctorem; inde corrigenda, quae ad hanc rem illustrandam addit Reinesius (l. c. p. 688). Cfr. quoque eiusdem *Reinesii* epist. ad Daumium 113 (Jen. 1670. 4. p. 283).

II. DE OPERIBUS AEGIDII.

Quatuor opúscula metrica conscripsit Aegidius ad rem medicam facientia, quorum tria haec editio sistit, quartum vero adhuc manu scriptum latet in scriniis bibliothecarum. Sunt autem haec carmina:

1. LIBER DE URINIS

prooemio, quod soluto sermone scriptum est, et 352 versibus hexametris constans, quibus pentametri nonnulli sunt interpositi. Opus iuvenile ut videtur, ipsique auctori non valde probatum, uti fatetur in prooemio ad librum de pulsibus (p. 24, lin. 97 sq.), igitur non ex hoc opere iudicandum est de Aegidii ingenio poetico, sed potius ex concinniori illo, quod de pulsibus agit. Attamen carmen de urinis ob compendiosam simul et copiosam uroscopiae doctrinam magnae famae fuit et auctoritatis apud medii aevi medicos, ita ut eius non solum ingens extiterit et partim adhuc existat manu scriptorum codicum in omnibus fere bibliothecis copia, sed etiam varii commentatores non obscuri nominis huic opusculo illustrando operam dederint, ut Gilebertus, Gentilis de Fulgineo aliique. Verosimile est, hoc opusculum usque ad saeculum XVI. doctoribus medicinae tanquam compendium ad habendas praelectiones inservisse. Eorum vero, qui ante Aegidii tempora de urinis sigillatim egerunt, unicus fere nobis superest libellus, graece conscriptus, pluries latine conversus, et in utraque lingua nobis preli beneficio servatus. Is liber est Theophili (Protospatharii), qui septimo post Christum natum saeculo Constantinopoli vixit. Joannis Actuarii libellus de urinis non ante Aegidii tempora scriptus esse videtur, quamvis Aegidii carmen de urinis Actuario non innotuerit. Theophili vero librum de urinis Aegidius certe ante oculos habuit, quamquam ab hoc ille nusquam allegatus sit.

Complectitur Aegidii carmen de urinis omnem de hac re doctrinam semioticam, ita ut, generalibus quibusdam de urina praemissis, de coloribus urinae sigillatim agatur, substantiae semper habita ratione, dein simili modo contenta urinae pertractentur.

Versibus 1...3 tres etymologiae vocis urinae exhibentur, pro genio saeculi diiudicandas. V. 4...9 genesis et natura urinae exponitur: esse scilicet hanc nil aliud, nisi aquosam seroque similem sanguinis partem, quae in secunda digestione separata ad renes deferatur ibique in urinam mutetur; cfr. Theophilum de urinis c. 1. 2.

V. 10...16 enumerantur c o n d i t i o n e s urinae inspiciendae, ea scilicet momenta, quae urinam variant, et ad quae

medicus, urinam inspecturus attendere debet, si veri quid ex urina praesagire cupit. Sunt autem hae conditiones non omnes eiusdem momenti seu dignitatis, quare ad quatuor primas prae ceteris animadvertendum est; scilicet ad sequentes: 1. *Quale:* color urinae; 2. *Quid:* substantia urinae seu varia eius consistentia, quae potest esse spissa, tenuis et mediocris; 3. *Quid in hoc:* contenta urinae seu corpuscula urinae innatantia; 4. *Quantum:* copia urinae.

V. 17, 18 enumerantur ea, quae ex inspectione urinae cognoscere potest medicus, sunt haec: sanitas, morbus, vigor, debilitas, inanitio et repletio, deinde etiam status medius, qui inter hos oppositos affectus existit.

V. 19...207 exhibetur doctrina de singulis coloribus urinae, quorum viginti (bis deni) numerantur. Sunt autem colores, quos Aegidius memorat, sequentes: Color niger, lividus, albus, glaucus, lacteus, charopos, pallidus, citrinus, rufus, rubeus, rubicundus, inopos, cyaneus, prasinus, ergo quatuordecim et, si colorem rufum, rubeum et rubicundum in unum contraxeris, habebis duodecim colores, ita, ut loco vocum *bis deni* (v. 19) legere aliquis posset *bis seni*, quam lectionem, nulla codicum auctoritate praeditam, in textum ipse recipere non ausus sum, idque eo minus, cum et ipsi editionum impressarum Aegidiani carminis commentarii de viginti coloribus loquantur. Praeterea extat inter bibliothecae Lipsiensis Paulinae codices manu scriptos index colorum urinae ab anonymo quodam auctore medii aevi confectus, qui viginti colores enumerat, sunt scilicet color albus, lacteus, glaucus, charopos, subpallidus, pallidus, subcitrinus, citrinus, subrufus, rufus, subrubeus, rubeus, subrubicundus, rubicundus, inopos, kyanos, viridis, lividus, niger adustionis et niger mortificationis (Cod. Paulin. num. 1167, fol. 43); dein in eiusdem bibliothecae duobus aliis codicibus manu scriptis (num. 1169, 1163) leguntur versus memoriales itidem anonymi cuiusdam auctoris, qui colores urinae ita definiunt:

Puri fontis aquae se comparat alba, seroque
Lactea, glauca nequit lucenti cedere cornu,
Exurgit karopos veluti praedata cameli,
Pallida pallet uti succus carnis semicoctae,
Pallorisque minus subpallida continet in se,
Pomi citrini monstrat citrina colorem,
Subcitrina citri minus est suffusa colore,
Rufa cum puro contendere non timet auro,
Impuri refert auri subrufa colorem,
Aurorae rubea, dat subrubeam crocus orti
Exprimit urinam sanguis purus rubicundam,
Sanguis aquosus portendit subrubicundam,
Purpura dat kyanos, viridem succus tibi porri,

Est inopos vinum nigrum, sed livida plumbi,
Est nigra ut cornu nigrum, sic nosce colores.

Undeviginti tantum hic colores enumerantur, quod inde forsan explicare licet, quod color niger in duo diversa genera rursus distribui soleret. Si ergo Aegidium quoque viginti colores numerasse contendis, sequenti modo eius colores distribues: Color niger duplicis generis, c. lividus, c. albus, c. glaucus, c. lacteus, c. charopos, c. pallidus et subpallidus, c. citrinus et subcitrinus, c. rufus et subrufus, c. rubeus et subrubeus, c. rubicundus et subrubicundus, c. inopos, c. kyanos, c. prasinus. Cfr. dissertatiunculam *de uroscopia medii aevi,* quam nuper dedi (Allgemeine medizinische Annalen, 1824 pag. 5 sq.).

V. 21...37. Color niger, το μελαν, Theophil. c. 6. Hic significat vel quartanae febris solutionem, vel adustionem (si color est sicut cornu lucidum vel sicut facies Aethiopum), vel mortem, si urina nigra est et turbida. Urina nigra cum sedimine nigro in mulieribus significat menstruorum purgationem. Si vesica renesque morbo non affecti sunt, urina nigra, foetida, pauca et pinguis in febre mortem significat, cfr. Theophil. de urin. c. 22. Si circa diem criticum cum surditate et agrypnia urina multa effertur nigro enaeoremate praedita, haemorrhagiam e naribus praesagit, bonam vel malam, prout bona vel mala signa eam comitantur. Nigra urina naturaliter semper spissa, nunquam tenuis est, nisi adsit violentior quidam morbus et magna vasorum obstructio.

V. 38...55. Color *lividus* seu plumbeus; το πελιδνον Theophili. Urina per totum livida indicat membri alicuius vel saltem humoris eiusdem mortificationem; si urina superne tantum livet, varios morbos indicat, versibus 42...46 enumeratos. Urina livida et oleosa, in parva quantitate et cum difficultate emissa, mortem significat; stranguriae signum est urina livida, frequenter sed in parva quantitate emissa. Urina livida cum granis (contentorum specie, v. vers. 239 sq.) parvis et ab invicem separatis significat morbum respirationis; urina livida cum minutissimis particulis in ea contentis arthritidem vel rheumatismum significat. Urina in superficie livida designat hystericam passionem, in qua uterus ad vertebras vel ad ipsum diaphragma adpelli credebatur.

V. 56...71. Color *albus,* το λευκον. Urina alba et tenuis varias affectiones significat, uti splenis passionem, hydropem, crapulam, nephresin, phrenesin, diabeten, arthritidem, melancholiam, epilepsiam, vertiginem caliginosam, hepatis debilitatem; in febre ardente significat mortem, si circa criseos tempus intrat; in sene marasmum, in puero atrophiam indicat; illis vero, quibus collum et humeri ex causa interna

dolent, praesagit lipothymiam. Urina alba et tenuis etiam quartanam febrem et quotidianam, haemorrhoidas et passiones mulierum hystericas designat, sub quibusdam conditionibus etiam diabetem; in universum vero cruditatem, quare si in acuto morbo crisis non antea iam facta est, phrenesis periculum haec urina minetur. Urina alba vel glauca cum circulo plumbei coloris (v. v. 226, 227) epilepsiam significat.

V. 72...77. Color *glaucus*, qui color cornu lucenti seu pellucido comparatur; Theophilus l. c. habet: *το γλαυκον ὡς κερας διαυγες, η ὡς οἱ κτηδονες του κερατοειδους χιτωνος του οφθαλμου*, i. e. „glaucus ut cornu pellucidum, seu ut stratus tunicae corneae oculi.“ Urina glauca semper tenuis, nunquam spissa est, et eandem significationem habet, ut alba urina, minus tamen periculosa est. Ceterum urina glauca in sano homine indicat temperamentum melancholicum, et si mediocriter tenuis et mediocriter glauca vel alba est urina excessum phlegmatis acris seu acidi designat.

V. 78...91. Color *lacteus*, *το γαλακτῶδες* Theophili. Urina lactea et subtenuis (nam perfecte tenuis nunquam esse potest urina lactea) in febris acutae initio apparens mortem minatur, si alia mala signa simul occurrunt, non vero, si simul bona signa (ut mens bene sibi conscia, somnus, bonus appetitus, respiratio libera, vires) conveniunt. Eadem urina, in fine morbi large effusa, sanitatem promittit; in initio febris intermittentis frigidam eius causam et diuturnitatem ostendit, in fine vero superveniens ipsius febris finem promittit.

V. 92...96. Color *charopos;* Theophilus ait: *το χαροπον οἱαπερ τα των καμηλων ερια τα ὑπολευκα, η ὡς λιθος ονυχιτης*, i. e. „charopos est sicut camelorum vellera subalbida seu sicut lapis onychites“; Guidottus, editor Theophili, vocem *χαροπον* per ravum vertit, sicut ex Aristotele Plinius (hist. natur. XI. 37, sect. 55). Haec urina si simul spissa est, significat hydropem, colicam, calculum, capitis dolorem, statum pituitosum, rheumata, fluxum ventris et membrorum apostemata critica.

V. 97...102 agitur de regionibus urinae, quarum *summa*, *media* et *infima* certis regionibus corporis tanquam signa praesunt. Alii, et inter eos etiam commentatores Aegidii, quatuor statuunt urinae regiones, scilicet *summam* seu circulum superficiei, *superficiem* ipsam, *mediam* dein regionem et *infimam*, quibus quatuor corporis regiones respondent, quarum prima ab epiglottide superius, secunda inter epiglottidem et diaphragma viget, tertia partes abdominales complectitur, exceptis organis uropoëticis et genitalibus, quae scilicet ad quartam seu infimam corporis regionem pertinent.

V. 103...119. Color *pallidus* et *subpallidus*, *το ωχρον και ὑπωχρον* Theophili, color spiceus et subspiceus (Guidot) vel pallidus et subpallidus. Si spissa simul est haec urina, significat febrem intermittentem ex phlegmate natam, si tenuis, indicat morbum ex atra bile, si mediocriter tenuis, indicat febrem ex acri phlegmate; mediocriter spissa temperamentum phlegmaticum designat. Urina pallida post glaucam, lacteam et charopon superveniens bonam crisin promittit. In febre continua lenta apostasin fieri in dextro hypochondrio indicat urina subpallida clara, si appetitus et vires non desunt, alias mortem minatur. Urina pallida, spumosa, oleosa, livida, cum contento cinereo, parce emissa phthisin indicat, si diarrhoea non adest; si vero in ipsa phthisi diarrhoea quoque accedit, mors sequitur.

V. 120, 121 de quantitate urinae agitur: Urinam paucam efficiunt cruditas materiei morbosae, obstructio meatuum, diarrhoea et consumtio; oppositae causae efficiunt multam.

V. 122...142. Color *citrinus* et *subcitrinus*, quem utrumque Theophilus omisisse videtur. Haec urina varias significationes (figuras) habet, ita iuveni complexionis phlegmaticae vel melancholicae febrem tertianam simplicem minatur, seni tertianam duplicem, puero continuam; sanitatem indicat in iuvene complexionis cholericae; praeterea occurrit in febribus quartanis erraticis autumni et hyemis, nec non in morbis pectoris, splenis et hepatis. In febris continuae initio diuturnitatem significat et debilitatem, in eiusdem febris stadio medio, crisi non facta, phrenesin minatur, sub fine febris post bonam crisin accedens, sanitatem promittit. Humor citro similis, quem conficit unio seu commixtio phlegmatis et cholerae urinam citrinam tenuem efficit, tenuiorem in cruditate, minus tenuem resolutione facta, intense citrinam in febre, remissiorem sine febre.

V. 143...182. Color *rufus* et *subrufus*, *το πυῤῥον και ὑποπυῤῥον* Theophili, qui color auro comparatur. Urina rufa aequalis, limpida et mediocris consistentiae corpus indicat sanum et optimae complexionis. Urina rufa tenuis in puero significat febrem continuam, in iuvene tertianam, in sene, phlegmatico et muliere significat tertianam duplicem; sine febre diu ita permanens morbum hepaticum sequi vel febrem quartanam indicat. Si in initio morbi urina rufa subtenuis cum rara nube in suprema regione apparet, febrem intermittentem ex phlegmate salso oriundam praesagit; eadem urina in progressu morbi superveniens febrem tertianam indicat; si vero magis ad spissitudinem accedit, quotidianam febrem diuturniorem ex salso vel dulci phlegmate designat. Si urina

subrufa subtenuis et sine nube per longum tempus apparere solet, tunc morbos apyreticos ex phlegmate salso minatur, hydropicis vero mortem. Urina rufa parum pinguis cum nubecula febrem de phlegmate dulci indicat; si eadem substantia manet, sed color in subrufum remittitur, morbi apyretici ex dulci phlegmate oriuntur; urina rufa, subtenuis vel etiam spissa, in superiori parte livida, diu ita perseverans, phlegmate dulci vel salso organa respirationis affici designat, in muliebri corpore morbos uteri. Urina rufa et pinguis indicat febrem continuam ex phlegmate in vasis haerente, sicut etiam rheumaticam affectionem; si simul accedit livor in suprema parte et morbus recens adhuc est, pleuresis vel hemitriteus minor indicatur, si vero vetus, ascites et empyema. Si urina spumosa, cinerea, livida, subrufa remissa fit, pleuriticus morbus transit in pneumonicum; febris hectica ostendit urinam pinguem, rufam, parum liventem, oleosam, crimnoidibus repletam.

V. 183...197. Color *rubeus, subrubeus* (qui est *το ξανθον και ὑποξανθον* Theophili) et color *rubicundus* et *subrubicundus, το ερυθρον, ὑπερυθρον* Theophili. Urina rubea lucida vel febrem tertianam duplicem, vel hepatis morbum vel febrem quartanam indicat; urina rubea turbida, mediocriter spissa, febrem tertianam continuam designat; eadem urina si viridem vel lividum colorem in suprema regione ostendit, hemitritaeum medium vel etiam malum pleuriticum indicat. Urina rubea spissa synocham indicat, synochum vero si lividus color regionem supremam occupat; urina rubea magis tenuis, quam spissa, causonidem indicat; synochidem vero si magis spissa, quam tenuis est; causon vero indicatur urina subtili et ignea (quae est *το φλογινον* Theoph.), certius urina rubicunda.

V. 198...204. Color *inopos; το οινωπον* Theophili, ad cuius mentem est *η ὡς μελαντερος οινος, η ὡς βαθυτερον και πορφυριζον αἱμα, καθως εστιν ἡ χροα του ἡπατος*, „sicut vinum nigrius, vel sicut spissior et purpurascens sanguis, qualis est color hepatis“ color vineus ergo. Urina oinopos in febre continua exitium minatur, minus mala est sine febre et in mulieribus interdum eruptionem menstruorum significat. Urina *kyanos* (V. 205.) eandem significationem habet cum urina vinea, Color kyanos s. venetus (Guidot), *το κυανουν* Theophili est urina ex nigro purpurascens.

V. 206, 207. Color *prasinus* s. viridis; *το χλωρον*, de quo Theophilus (ex Guidotti textu et versione) ita ait: *το δε χλωρον, ὡς πρασινον, κραμβιζον, και ωσει χλοη· πλατος δε εν αυτῳ θεωρειται· το γαρ ιῶδες και το σμαραγδιζον· καὶ το ισατῶδες, παντα χλωρα κατα το μαλλον και ἡττον:* „viridis autem

**

ut porraceus, ad brassicae colorem vergens et herbaceus; latitudo certe in eo consideratur: aeruginosus enim, smaragdinus et glasteus omnes virides sunt secundum magis et minus." Urina viridis indicat icterum, spasmos, hemitritaeum maiorem et ipsam mortem.

V. 208...338 exhibetur doctrina de contentis urinae. His fides maior habenda est, quam coloribus et substantiae, et certius licet ex iis iudicium haurire. Enumerantur contenta versibus 216..219. Dein ad singulorum contentorum considerationem auctor accingitur.

V. 220...234. *Circulus* urinae. Est autem circulus id, quod nunc coronam dicunt, margo circularis superficiei supremae, quam facit urina in vase urinario. Circulus latior et aquosus occipitium phlegmate premi docet, circulus purpureus et latior ostendit partem anteriorem capitis sanguine affici; circulus pallidus et tenuis partem sinistram capitis atra bile, circulus rubeus et tenuis bile flava partem dextram capitis turgere indicat. Circulus plumbeus epilepsiam, circulus rubeus post lividum virium restaurationem indicat; circulus viridis in febre ardente phrenesin minatur. Circulus tremulus spinae dorsalis morbum designat; circulus niger vel mortificationis vel adustionis signum est, prout antea vel viridis vel lividus extiterit.

V. 235...238. *Ampulla,* seu spuma bullosa in circulo aut superficie urinae, est vel residens, vel non residens. Residens ampulla inter transfusionem liquoris orta fugax est et quiescente liquore statim residet et evanescit, ampulla non residens etiam quiescente liquore permanet et denuo semper gignitur, de hac sola agit Aegidius; indicat haec diuturnitatem morbi, nephresim, cephalalgiam, rugitum et fluxum ventris, denique vomitum.

V. 239...244. *Granula;* his indicantur rheumata, scilicet fluxus humorum a capite in partes debiliores; si granula in ipso circulo urinae fixa manent et depressa ad eum revertuntur, morbus adhuc in ipso cerebro latet; si vero granula infra superficiem urinae sunt, et vitro commoto non ad circulum tendunt, morbus iam ad loca capiti proxima migravit.

V. 245, 246. *Nubecula* s. nebula urinae, ἡ νεφελη Theophili (c. 13). Est autem nebula urinae corpus semipellucidum, quod superiorem partem urinae obumbrat; indicat vel vitium organorum respirationis (offensam spiritualem) vel hepatis calorem morbosum.

V. 247...254. *Spuma* urinae. Haec si continua est, vel ventositatem indicat, vel calorem morbosum: ventositatem si discolor est et spissa, calorem si colore intenso et te-

nuis est. Spuma non continua sed intercisa et parvis granulis distincta idem significat, quod granulorum contentum, scilicet rheumata. Icterum vel hepatitidem indicat spuma nigra vel viridis, vel crocea.

V. 255...258. *Sanies* in urina, quae vel vesicae, vel renum, vel hepatis vitium designat, quod ex odore urinae et parte dolente dignoscitur.

V. 259, 260. *Pinguedo* urinae, seu urina oleagina, *τα ουρα ελαιωδεα* Theophili (c. 17). Urina oleosa cum febre tabem universam significat, sine febre consumtionem renum.

V. 261...264. *Humor* in urina. Humor crudus in superiore parte urinae significat morbos pectoris, pulmonum et diaphragmatis, in media parte vitia ventriculi et intestinorum, in inferiore parte morbos renum, lumborum et extremitatum inferiorum.

V. 265...275. Urina *sanguinea;* haec potest originem trahere vel ex hepate, vel e vesica urinaria, vel e renibus vel e vena chilis, quae omnia propriis signis concomitantibus dignoscenda sunt.

V. 276...278. *Arenae* in urina, quae calculum vesicae indicant, si albae sunt, calculum renis vero, si rubrae.

V. 279...281. *Pili* in urina seu contenta piliformia, quae indicant vel renes affectos esse vel totum corpus, prout inter digitos confrictae molliores se sistunt durioresve, v. Hipp. aph. IV. 76.

V. 282...284. *Squamae* et *furfura* in urina, *ὑποστασεις πεταλωδεις και πιτυρωδεις* Theophili (c. 20, 21), sedimenta laminea s. petaloidea et furfurea. Utrumque contentum sine febre indicat scabiem (exulcerationem) vesicae, cum febre vero primam et secundam speciem febris hecticae. Tertia febris hecticae species indicatur *Crimnoidibus,* de quibus agitur V. 285, 286; sunt vero crimnoides (*ὑποστασεις κριμνωδεις,* sedimenta similaginea, Theoph. c. 21) similes furfuribus, sed molis paulo maioris, denominationem adeptae a voce *κριμνον*, i. e. farina crassius molita, v. Hipp. aph. VII. 30.

V. 287...297. *Alba minuta,* quae guttam significant, in mulieribus vero vel conceptionem vel uteri debilitatem.

V. 298...301. *Sperma* in urina repertum vel coitum exactum, vel abundantiam spermatis et concupiscentiam veneream, vel pollutionem nocturnam, vel gonorrhoeam, vel virilium paralysin designat.

V. 302...306. Contentum *cinereum* urinae vel haemorrhoidas et condylomata ani, vel tumorem splenis, vel menstruorum retentionem significat.

V. 307...338. *Sedimen* seu hypostasis urinae. Bonum sedimen debet esse album, continuum non interruptum, in

fundo vasis residens, per aliquod tempus ita constanter permanens et conoideam s. pineatam habens figuram; malum sedimen extat, si aliqua ex his quinque conditionibus desideratur, reliquis nihilominus praesentibus; sic digestio laesa cognoscitur, si sedimen fundum deserit et vel mediam regionem tanquam enaeorema vel supremam regionem tanquam nubecula occupat, item si reliquis servatis compages et continuitas sediminis solvitur. Sedimen rubeum in febre spem bonae criseos affert, peius signum est sedimen subrubeum, quamvis albo-sedimini vicinius. Pessimum est sedimen nigrum; minus malum est enaeorema nigrum et nubecula nigra, quamvis sedimen nigrum colore tantum peccet, enaeorema nigrum et nubecula nigra vero colore simul et loco.

Reinesius habuit codicem manu scriptum, in quo inter versus 338 et 339 adhuc sequentes versus, certe spurii, legebantur (epist. ad Daumium):

Mutant urinam frigus, calor atque putredo,
Congelat atque coquit, sanies dum mingitur, exit,
Ultima cum febre signum solet esse salubre,
Si fuerit calida morbi dyscrasia longa
Aut in tartareo ponit tentoria morbo,
Sive sub hydropico nisi nata sit ethica primo,
Frigiditas multa, quae si fuerit diuturna,
Redditur in fine leucophlegmaticus inde
Aut parit arteticam vel ptisim aut cacochimiam.

2. LIBER DE PULSIBUS

scriptus est ab Aegidio serioribus annis, quam liber de urinis, constat prooemio, quod soluto sermone scriptum est et 380 versibus hexametris. Opus certe limatum et poëmatis nomine non indignum; praesertim si genium saeculi respicias et difficultatem a rei pertractatae natura obortam. Eadem fata ceterum habuit hic liber cum libello de urinis, transscriptores et commentatores nactus est plurimos et magnam apud docentes discentesque auctoritatem. Praeter Galeni prolixa de pulsibus volumina, quorum summam in brevissimum compendium eleganter contraxit Justus Frid. Carol. Hecker (sphygmologiae Galenicae specimen, Berolini 1817. 8.), aliaque partim deperdita nominandus est graecus quidam libellus Philareti, qui latino sermone tantum nobis servatus est. Idem vero hic Philaretus esse dicitur, qui sub Theophili (Protospatharii) nomine libellum de urinis composuit, de quo dixi in prolegomenis ad Aegidii libellum de urinis. Philareti libellus de pulsibus, quem Aegidius ob nimiam brevitatem indeque natam obscuritatem acriter carpit, prodiit ex versione Albani Torini cum libro de

urinis, et cum eodem ex antiquiori versione insertus est Articellae.

Aegidius in suo de pulsibus libello metrico mediam viam eligere studuit inter nimiam prolixitatem et obscuram brevitatem. Ipsorum pulsuum explicationi praemittit quaedam de corde eiusque motu (v. 15...45), quae partim per se clara, partim notulis nostris illustrata, commentario ampliori non egent. Non magis nos morabuntur, quae de pulsu in universum exhibentur versibus 46...56; indicat scilicet iudicium ex pulsu sanitatis varietates seu corporis et animi variam in sanitate indolem, in morbis vero augmentum morbi, paroxysmum, acmen, intermissiones, motus criticos, convalescentiam et mortem; iudiciorum ex urina indolem dubiam et incertam corrigit et confirmat et ex generalioribus ad specialia deducit, ut si urina genus morbi tantummodo indicet, pulsus speciei diagnosin adiuvet.

Ut pulsuum discrimina constituantur, quinque adhibentur *considerationes*, ex quibus decem pulsuum *genera* oriuntur, quorum singula denuo in plures *species* distribuuntur. Haec omnia ex tabula sequenti elucebunt:

I. Consideratio: motus arteriae (v. 59).
 1. Genus: Pulsus magnus, parvus, mediocris.
 2. —— —— fortis, debilis.
 3. —— —— velox, tardus, mediocris.
II. Consideratio: substantia arteriae (v. 60).
 4. Genus: Pulsus durus, mollis, mediocris.
 5. —— —— plenus, vacuus, mediocris.
 6. —— —— calidus, frigidus, mediocris.
III. Consideratio: mora inter arses (v. 62).
 7. Genus: Pulsus frequens, rarus, mediocris.
IV. Consideratio: incrementum et decrementum (v. 63...65).
 8. Genus: Pulsus decidens et incidens.
V. Consideratio: constantia et ordo (v. 66...68).
 9. Genus: Pulsus aequalis et inaequalis.
 10. —— —— ordinatus et inordinatus.

Decem ergo pulsuum genera secundum has quinque considerationes extant, quae nunc (v. 69...111) accuratius definiuntur.

Genus primum (v. 69...77). Pulsus *magnus* oritur ex aucta dimensione arteriae et cum haec tribus modis augeri possit, tres oriuntur pulsus magni species. Dimensio arteriae in longitudinem aucta facit *longum* pulsum, in latitudinem expansa *latum*, elevatio denique arteriae versus digitum explorantem constituit pulsum *altum* seu apertum. Eodem modo pulsus *parvus* in tres species secundum triplicem dimensionem distribuitur, scilicet in pulsum *curtum* seu recisum, si longitudo spectatur, in pulsum *strictum* seu gracilem, si latitudo, et in pulsum *occultum* seu profundum, si

elevatio arteriae prae ceteris consideratur. Accedit tertia species, seu pulsus mediocris.

Genus secundum (v. 78, 79). Pulsus *fortis* oritur, si magnus simul est et velox, i. e. si arteriae auctam dimensionem rapidus ictus comitatur. Nam vox „frequentia", quae in Aegidii versu 78 occurrit, nil aliud est, quam velocitas, quod commentariis impressis edocemur. Pulsus *debilis* e contrariis causis oritur.

Genus tertium (v. 80). Pulsus *velox* seu citatus, quem nunc celerem dicimus, adest, si diastole cito oritur et celeriter transit, ita ut rapidum ictum sentiat digitus admotus; pulsus *tardus* illi contrarius habet lentam, paulatim exsurgentem diastolen, non tam celeriter transeuntem. Inter utrumque medius extat pulsus mediocris.

Genus quartum (v. 81, 82). Pulsus *durus* et *mollis* diiudicatur secundum rigiditatem vel laxitatem, quae in arteria sentitur durante diastole. Etiam inter hos pulsus mediocris medium tenet.

Genus quintum (v. 83). Pulsus *plenus* est, qui turgidus, quasi humore quodam redundante sentitur et ita sub levi compressione digiti permanet; pulsus *vacuus,* qui primo tactu quidem inflatus esse videtur, sed leviori iam compressioni ita cedit, ut inflatio evanescat. Mediocris tertiam speciem constituit.

Genus sextum (v. 84, 85). Pulsus *calidus* et *frigidus* et inter hos mediocris ex calore et frigore diiudicatur, quae digitos explorantes afficiunt.

Genus septimum (v. 90...92). Pulsus *frequens* et *rarus* dignoscitur minori vel maiori mora inter diastolas, igitur per numerum maiorem vel minorem ictuum in certo temporis spatio absolutorum. Etiam in hoc genere extat mediocris.

Genus octavum (v. 93...97). Pulsus *decidens* seu deciduus a fortioribus ictibus descendit ad debiliores et sensim evanescere videtur. Pulsus *incidens* vero seu inciduus a debilibus ictibus ad fortiores procedit.

Genus nonum (v. 98...101). Pulsus *aequalis* est, cuius ictus omnes eiusdem indolis sunt et per eadem temporum spatia recurrunt. Est vero absolute seu in omnibus aequalis, si eadem magnitudo, fortitudo, velocitas, durities et quae sunt eius reliquae qualitates in omnibus ictibus servantur, non absolute aequalis, si non omnes qualitates in singulis ictibus recurrunt, sed una tantum aliave, e. g. durities vel frequentia, ubi tunc dicitur pulsus in duritie aequalis s. aequaliter durus etc. Pulsus *inaequalis* eadem ratione discernitur et hic quoque esse potest vel absolute seu in omnibus inaequalis, vel in singula quadam qualitate.

Genus decimum (v. 102 ... 111). Pulsus *ordinatus* in eo cernitur, quod eadem ratio inter singulos ictus servetur, sive ea ratio aequalis sit, sive inaequalis. Potest ergo pulsus ordinatus vel aequalis esse vel inaequalis, ita ut omnis aequalis pulsus necessario sit quoque ordinatus, inaequalis vero vel ordinatus esse possit, vel inordinatus. Pulsus *inordinatus* is est, qui rationem inter singulos ictus non servat et sine lege esse videtur. Species pulsus inaequalis ordinati et inordinati secundum similitudines quasdam denominantur ut caprinus, serrinus etc. (v. 109 ... 111).

Causae mutationis pulsuum exhibentur omnes vers. 112 ... 115.

V. 119 ... 146 exponitur modus, quo pulsus debeat investigari: scilicet in quibusnam arteriis, in quonam brachio aegrotantis, quanam manu medici et quibusnam cautelis. — Pulsus debet explorari in iis arteriis, quae tangi possunt sine turpitudine, quae neque nimis profundae sunt et occultae, neque nimis breves et flexuosae, nec etiam nimis a corde remotae; eligitur ergo sinistra manus aegroti, quia cordi magis vicina et perturbationibus aliis minus obnoxia est, quam dextra. Medici sinistra manus sustentare debet manum sinistram aegroti, cuius pulsus exploratur; cavendum est simul, ne aeger digitos suos in pugnum comprimat, neve eos nimis extendat; tum etiam ne corporis pondus brachio sinistro antea incubuerit vel adhuc incumbat. Dextra manus medici pulsum tangat hoc modo, ut magis superficiali arteriae digitos leviter apponat, magis profundae et absconditae vero pressim eos applicet. Exspectari debet ob accuratius iudicium inde ferendum centesimus ictus.

V. 147 ... 375 agitur *de significationibus pulsuum*, quorum singulae species semper in statu secundum naturam et in statu praeter naturam considerantur.

V. 147 ... 153. Pulsus *magnus naturalis* hominem designat prodigum, instabilem, gloriae cupidum, audacem, ingenuum, calore spiritibusque divitem, arteriam bene formatam, ad dilatandum et movendum aptam. — V. 154 ... 158. Pulsus *magnus praeternaturalis*, quem facit causa morbi suscepta, spirituum fervor morbosus, calor febrilis, labor aut coitus vehemens, ira. — V. 159. Pulsus apertus seu *altus* in omnibus cum magno pulsu convenit. — V. 160 ... 163. Pulsus *longus naturalis* copiam spirituum et validum calorem indicat. — V. 164, 165. Pulsus *longus praeternaturalis* dyscrasiam indicat seu distemperantiam et caloris excessum. V. 166 ... 168. Pulsus superficialis seu *latus naturalis*, designat segnitiem, mentem inconstantem, flexibilem, crasin cordis humidam. — V. 169, 170. Pulsus *latus praeternatu-*

ralis humores corporis tenues esse et aquosos, arterias aqua imbutas, membra resoluta indicat.

V. 171...176. Pulsus *occultus naturalis* animum indicat secreta celantem, caloris et spirituum egestatem, arteriam minus mobilem. — V. 177...179. Pulsus *occultus praeternaturalis* destructionem corporis praesagit. — V. 180... 184. Pulsus mutilus seu *curtus naturalis* pusillanimitatem, invidiam, timiditatem, cupiditatem, avaritiam, frigidam temperiem cordis, spirituum viriumque penuriam indicat. — V. 185...187. Pulsus *curtus praeternaturalis,* si per tempus aliquod semper ita se habet, calorem vitalem deficere docet. — V. 188...190. Pulsus *gracilis* seu *strictus naturalis* mentem constantem propositique tenace mindicat et siccam cordis temperiem. — V. 191, 192. Pulsus *strictus praeternaturalis* corporis ariditatem et materiam arcte cohaerentem (inde longum morbum) indicat.

V. 193...199 agitur de pulsibus quibusdam secundum quantitatem compositis. Pulsus *longus et latus* simul (v. 193, 194) regnare docet sanguinem, „qui propter qualitates suas qualitatibus aëris consimiles dicitur filius aëris" uti legitur in commentario Edd. impr. ad hunc locum. Pulsus *longus et strictus* simul (v. 195...197) designat regnum cholerae. Pulsus *curtus et latus* simul (v. 198) indicat dominium phlegmatis, Pulsus *curtus et strictus* simul (v. 199) dominium bilis atrae; ita complexiones ex pulsuum quantitate distinguuntur ad mentem veterum.

V. 200...204. Pulsus *fortis* et *debilis*. Pulsus fortis vigorem indicat, spirituum copiam et arteriam bene mobilem, pulsus debilis contraria.

V. 205...213. Pulsus *velox naturalis,* temperiem cordis ferventem, praecipitationem quandam et festinationem nimiam in omnibus actionibus, vividam spirituum naturam et humorem facile resolubilem indicat. — V. 214, 215. Pulsus *velox praeternaturalis* calorem morbosum in corde denunciat. — V. 216...218. Pulsus *tardus* et pulsus *medius* inter tardum et velocem.

V. 219, 220. Pulsus *durus naturalis* mentem austeram, temperiem cordis siccam, humorum penuriam et duritiem arteriae designat. — V. 221...225. Pulsus *durus praeternaturalis* materiam difficulter solvendam igitur morbum longius protractum indicat. — V. 226...229. Pulsus *mollis naturalis* mentem inconstantem, flexibilem, muliebrem, corporis complexionem humidam, cordis et arteriae substantiam mollem indicat. — V. 230, 231. Pulsus *mollis praeternaturalis* tenuitatem humorum et morbosam vasorum mollitiem designat.

V. 232, 233. Pulsus *plenus* spirituum sanguinisque copiam adesse docet. — V. 234...236. Pulsus *vacuus* spirituum sanguinisque defectum et humiditatem a morboso calore consumtam indicat.

V. 237...241. Pulsus *calidus* febrem vel acutam, vel intermittentem, vel hecticam indicat, prout continuus adest vel interponens, vel simul vacuus. — V. 242, 243. Pulsus *frigidus* vitae finem praesagit, quare commentarius Edd. impr. ad hunc locum: „non consulo quod medicus stet circa egrotum, quando apparet talis pulsus, tunc enim crux et luminaria et cinis et cilitium et aqua benedicta suum debent habere locum.“

V. 257...264. Pulsus *frequens* indicat debilitatem et vehementem calorem morbosum, cum quasi compensare studeat multitudine ictuum debilitatem singulorum. — V. 265. Pulsus *rarus* indicat debilitatem cum calore exiguo.

V. 266...274. Pulsus *inciduus* et *deciduus*, quorum prior virium augmentum et bonum morbi exitum, posterior vero virium decrementum et exitium ostendit.

V. 275...288. Pulsus *aequalis* et *inaequalis* bonae esse possunt malaeve significationis, prout in bonis ceterum malisve pulsibus cernatur aequalitas et inaequalitas. Aequalitas in pulsu quodam laudabili salutem promittit, in malo exitium; inaequalitas in malo pulsu laudabilior est, quam in bono; eadem ratione pulsus malus aequalis peior est, quam malus inaequalis, et bonus aequalis melior bono inaequali.

V. 289...375 enumerantur significationes pulsuum inaequalium ordinatorum et inordinatorum, qui nominibus ex comparatione et similitudinè desumtis insigniuntur. *Cauda retortiva* (v. 289...295), pulsus a similitudine caudae soricinae ita dictus, cum inciduo quodammodo convenit et „quasi ab occultis et quasi ab insensibilibus percussionibus incipiens paulatim graduali tramite secundum ordinatum motum maiorando procedit de minimis ad parvas, de parvis ad aliquantulum apertas, de aliquantulum apertis ad magis manifestas et ita continuatim et ordinatim procedit, quousque se recipiat in fortes motiones“ (Comment. Edd. impr.). Bonam crisin et reconvalescentiam indicat cauda retortiva. *Cauda finitiva* (v. 296...299), pulsus itidem similitudine caudae soricinae ita dictus, deciduo pulsui comparari potest et „per contrarium potest intelligi, quia a fortioribus incipiens per minus fortes transit, tertio per debiles, quarto per debiliores, tandem ab eo descendit per gradus debilitatis“ (Comm. Edd. impr.). Cauda finitiva defectum virium et mortem minatur, quare in Aegidii carmine sequitur (v. 300...315) „consolatio medici, cum aeger moritur.“ Pulsus *caprinus* (v. 316...

328) ictum dividit quasi in duas dilatationes, quarum prior minor est, posterior vero maior, ita ut eiusmodi pulsus caprae saltum imitetur. Pulsus caprinus vel secundum naturam est (v. 320...325) vel praeter naturam (v. 326...328). Pulsus *martellinus* (v. 329...338) similis est caprino, sed ab hoc inde discernitur, quod singuli cuiusque ictus prior dilatatio maior sit, minor altera; etiam hic pulsus vel secundum (v. 335, 336), vel praeter naturam (v. 337, 338) occurrit. Pulsus *ramosus* (v. 339...349) quatuor digitos explorantes ita ferit, ut sub unoquoque digito alius atque alius semper videatur; praeterea esse potest vel secundum (v. 343, 344) vel praeter naturam (v. 345...349). Pulsus *procellosus* seu fluctuans, seu aestuosus (v. 350...355) ab undis in procella fluctuantibus nomen accepit, quia fortiter ab omni parte motus apices digitorum explorantium undequaque obruit; semper praeter naturam occurrit. Pulsus *spasmosus* (v. 356...361) duplex est: spasmosus vacuus, qui in phthisi praesertim locum habet, et spasmosus plenus, ex repletione ortus. Pulsus *formicans* et pulsus *vermiculosus* (v. 362...368) a motu formicarum et vermium dicti, pessimae plerumque sunt significationis, nisi adsit syncope, haec enim eosdem pulsus facit absque mortis periculo. Pulsus *serrinus* (v. 369...375) dictus a serra, quae inaequales incisiones facit, et itidem pessimae significationis est.

3. LIBRI DE LAUDIBUS ET VIRTUTIBUS COMPOSITORUM MEDICAMINUM

constant prooemio, quod soluto sermone scriptum est, et 4663 versibus hexametris in quatuor libros distributis, quibus 80 medicamina composita describuntur. Hoc poëma nil aliud est, quam paraphrasis poëtica glossarum, quas scripsit Matthaeus Platearius in Nicolai Praepositi antidotarium minus. Vetus hoc antidotarium minus, in usus medicorum conscriptum, quod ab antidotario maiori, usibus apothecariorum destinato bene distinguit ad Saladini Asculani mentem Ackermann (institut. histor. medic. p. 345), extat ad calcem operum Mesuës, Venet. 1562. fol., simul cum Platearii glossis. Hae glossae autem Platearii ut ad manus tibi sint inter legendum Aegidii poëma, optandum est, non solum, ut melius intelligas in singulis locis mentem Aegidii, sed etiam ut animadvertas, quam multa ab ipso Aegidio sint melius, accuratius, plenius exposita, quae apud Platearium vel manca habeantur, vel plane desint. Sequitur nunc series medicaminum compositorum, de quibus tractat Aegidius, eodem servato ordine singulorum:

Aurea Alexandrina (Aegid. med. l. 1. v. 168), medicamentum compositum e genere electuariorum amarorum; dicta est ab auro, vel propter eximiam virtutem, vel quia aurum in se recipit. Vide Nicolai Praepositi antidotarium minus, Venet. 1562. fol. f. 366 b; eiusdem antidotarium maius, Lugd. 1536. fol. f. 22 a; Quirici de Augustis de Thertona lumen apothecariorum, Lugd. 1536. fol. f. 5 b; Pauli Suardi thesaurum aromatariorum, Lugd. 1536. fol. f. 1 a; Joannis Jacobi de Manliis de Bosco luminare maius, Lugd. 1536. fol. f. 8 a.

Adrianum antidotum (Aeg. med. l. 1. v. 431), medicamentum compositum in forma electuarii; nomen sumsisse fertur ab Adriano imperatore. Vide Nicolai Praepositi antidot. min. f. 370 b; eiusd. antidot. mai. f. 22 a; Qu. de Augustis de Thertona lumen apothecariorum et Pauli Suardi thesaurus aromatariorum hanc compositionem non habent; Manl. de Bosco luminare mai. f. 8 b.

Athanasia antidotum (Aeg. med. l. 1. v. 518) electuarium amarum, sic dictum, quia hominem a morte liberare credebatur. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 371 a; eiusd. antid. maius f. 22 b; Qu. Aug. de Thertona f. 8 b; P. Suard. f. 1 b; Manl. de Bosco f. 9 a.

Acharistum antidotum (Aeg. med. l. 1. v. 686), electuarium aromaticum, sic nominatum, quia tantae virtutis est et ita cito morbum tollit, ut inde medicus sostro merito se deceptum videat, nisi prius iam mercedem acceperit. Iniusta igitur est accusatio, ac si medici hoc medicamen non aliter aegrotis porrexerint, nisi prius accepta mercede (C. Sprengel Geschichte der Arzneikunde, 3. Aufl. 2. Thl., S. 502, Nota 25). Vide Nicol. antid. min. f. 371 a, eiusd. antid. maius f. 22 b; Manl. de Bosco f. 8 b.

Alchancalon antidotum (Aeg. med. l. 1. v. 719) medicamentum compositum, cuius nomen corruptum est ex angelocalon, *αγγελοκαλον*, quasi nuntium bonum (Nicolai Myrepsi medicamentorum opus ed. Leonh. Fuchs, Basil. 1549. fol. pag. 16), unde etiam Nicol. Praepos. antid. min. in editione citata f. 372 a id *Evangelon* dicit. Praeterea vide Nicol. Praepos. antid. mai. f. 22 b, ubi Alcancalon, Manl. de Bosco f. 9 a, ubi Alcanchalon dicitur.

Haemagogum antidotum (Aeg. med. l. 1. v. 733) medicamentum compositum ad menstrua promovenda, a qua virtute nomen suum accepit. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 372 b; eiusd. antid. mai. f. 23 a; P. Suard. f. 1 b; Manl. de Bosco f. 9 b.

Blanca maior (Aeg. med. l. 1. v. 756) dicitur hoc medicamentum, quia adhuc media habetur Blanca et minor;

Blancae nomen accepit, quia albos et phlegmaticos humores purgat. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 373 a; eiusd. antid. mai. f. 24 b; Manl. de Bosco f. 9 b.

Benedicta (Aeg. med. l. 1. v. 829) medicamentum compositum laxativum, quod Benedictae nomen accepit, quia, ut antidotaria asserunt, ab aegrotis ei ob virtutem suam benedicitur. Vide Nicolai Praepos. antid. min. f. 373 b; eiusd. antid. mai. f. 24 a; Quir. Aug. de Thertona f. 9 b; P. Suard. f. 2 b; Manl. de Bosco f. 9 b, ubi dicitur Benedicta simplex.

Diamargariton (Aeg. med. l. 2. v. 46) medicamentum cardiacum, quod ab ingredientibus perlis nomen accepit. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 375 a; eiusd. antid. mai. f. 27 a; P. Suard. f. 9 a; Manl. de Bosco f. 10 a.

Dianthos (Aeg. med. l. 2. v. 182) medicamentum aromaticum, quod nomen sibi sumsit a floribus rorismarini, qui etiam flores anthos dicuntur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 375 b; eiusd. antid. mai. f. 27 a; Manl. de Bosco f. 10 b.

Diamoron (Aeg. med. l. 2. v. 207) medicamentum compositum, quod nomen a moris accepit, et ad mundificandum os adhibetur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 375 b; antid. mai. f. 29 a; Manl. de Bosco f. 35 a.

Diasatyrion (Aeg. med. l. 2. v. 218) medicamentum aphrodisiacum, quod ab ingredientibus radicibus satyrionis nomen accepit. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 375 b; eiusd. antid. mai. f. 30 a; Quir. de Thertona f. 7 b; P. Suard. f. 7 b; Manl. de Bosco f. 10 b.

Diaprasium (Aeg. med. l. 2. v. 349) medicamentum compositum, quod nomen accepit a prasio, praecipuo ingredientium. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 376 a, ubi sicut in eiusdem antid. mai. f. 28 a, et apud Manl. de Bosco f. 11 a Diaprassium audit.

Diazinzibereos (Aeg. med. l. 2. v. 395) medicamentum compositum aromaticum, cui zinziber nomen dedit. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 377 a; eiusd. antid. mai. f. 28 b; reliqua dispensatoria omittunt et solum de zinzibere condito loquuntur.

Diaciminum (Aeg. med. l. 2. v. 420) medicamentum compositum carminativum, sic dictum a semine cimini. Vide Nicol. antid. min. f. 377 b; eiusd. antid. mai. f. 27 a; Quir. de Aug. de Thertona f. 2 a; P. Suard. f. 5 b; Manl. de Bosco f. 11 b.

Diacalamentum (Aeg. med. l. 2. v. 442) medicamentum compositum aromaticum, quod a calamento s. herba nepetae nomen accepit. Vide Nic. Praepos. antid. min. f. 378 b; eiusd. antid. mai. f. 28 a; Quir. de Thertona f. 6 a; P. Suard. f. 6 b; Manl. de Bosco f. 12 a.

Diarrhodon (Aeg. med. l. 2. v. 478) medicamentum compositum, quod nomen a rosis sumit ingredientibus. Dicitur etiam Diarrhodon magnum, nam existunt quoque Diarrhodon Julii et Diarrhodon Abbatis. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 377 a; eiusd. antid. mai. f. 27 b; Quir. de Thertona f. 3 a; P. Suard. f. 6 a; Manl. de Bosco charta 5 a.

Diarrhodon Abbatis (Aeg. med. l. 2. v. 539) medicamentum, quod Abbas de Curia composuisse dicitur, praecedenti simile. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 377 a; eiusd. antid. mai. f. 27 b; P. Suard. f. 6 a; Manl. de Bosco f. 11 b.

Diapenidion (Aeg. med. l. 2. v. 544) medicamentum compositum humectans et expectorans, a penidiis nomen ducens. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 377 b; eiusd. antid. mai. f. 29 a; Quir. de Thertona f. 8 a; P. Suard. f. 8 a; Manl. de Bosco f. 11 b.

Diacitoniten (Aeg. med. l. 2. v. 569) medicamentum compositum, quod a cydoniis s. citoniis nomen accepit. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 379 a; eiusd. antid. mai. f. 30 b; reliqua antidotaria omittunt Diacitoniten, quamvis Conditum cydoniorum habeant.

Diasene (Aeg. med. l. 2. v. 592) medicamentum compositum solutivum, in quod folia sennae ingrediuntur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 379 a; eiusd. antid. mai. f. 31 b; Quir. de Thertona f. 10 b; P. Suard. f. 8 b; Manl. de Bosco f. 12 b.

Diacastoreum (Aeg. med. l. 2. v. 598) medicamentum compositum aromaticum, a castoreo sic nuncupatum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 377 b; eiusd. antid. mai. f. 31 b; Manl. de Bosco f. 11 b.

Diadragagantum (Aeg. med. l. 2. v. 626) vel, uti rectius habet Nicol. Praepositi antid. minoris editio citata (f. 378 a), Diatragacanthum; medicamentum compositum pectorale, quod gummi tragacanthae in se recipit. Vide Nicol. Praepos. antid. mai. f. 29 a; Quir. de Thertona f. 8 a; P. Suard. f. 6 a; Manl. de Bosco f. 11 b.

Diaolibanum s. *Diamannis* (Aeg. med. l. 2. v. 648) medicamentum compositum aromaticum; nomina sumit ab olibano, quod etiam manna thuris dicitur; non vero commutanda est haec Diamannis cum electuario Diamanna, quod est in Nicol. Praepos. antid. min. f. 379 b. De Diaolibano vide Nicol. Praep. l. c. f. 377 a; eiusd. antid. mai. f. 31 a; Quir. de Thertona f. 8 b; P. Suard. f. 8 a; Manl. de Bosco f. 11 a.

Diacostum (Aeg. med. l. 2. v. 725) medicamentum compositum aromaticum, quod a costo nomen accepit. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 378 a; eiusd. antid. mai. f. 28 a; P. Suard. f. 8 a; Manl. de Bosco f. 12 a.

Diairis (Aeg. med. l. 2. v. 822) medicamentum compositum pectorale, nomen sumens ab iride Florentina. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 378 b; eiusd. antid. mai. f. 28 b; Quir. de Thertona f. 8 a; P. Suard. f. 7 b; Manl. de Bosco f. 12 a.

Diacodion Galeni (Aeg. med. l. 2. v. 828) medicamentum nomen ducens a codio s. papavere. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 378 b; eiusd. antid. mai. f. 29 a; P. Suard. f. 6 b, ubi vero Diacodion Mesuës audit; Manl. de Bosco f. 12 b.

Diaprunis (Aeg. med. l. 2. v. 859) seu Diadamascenum est medicamentum compositum lenitivum quod nomen sumit a prunis Damascenis, quae intrant. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 376 a; eiusd. antid. mai. f. 31 a, ubi Diaprunum audit; Quir. de Thertona f. 11 a; P. Suard. f. 9 a; Manl. de Bosco f. 8 b.

Esdra (Aeg. med. l. 3. v. 44) medicamentum compositum nomen ducens ab Esdra Propheta, qui inventor eius celebratur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 379 b; eiusd. antid. mai. f. 32 b, ubi Esdra magna audit; Manl. de Bosco f. 12 b.

Electuarium pliris archonticum (Aeg. med. l. 3. v. 235) medicamentum compositum aromaticum, dictum quasi Implens principale seu pro principibus (*πληρης αρχοντικον* seu *αρχοντικων*). Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 381 a; eiusd. antid. mai. f. 33 a; P. Suard. f. 11 b; Manl. de Bosco f. 13 b; Nicol. Myreps. edit. Fuchsii, Basil. 1549. fol. pag. 56.

Electuarium Ducis (Aeg. med. l. 3. v. 253) medicamentum compositum quod ita dicitur, quia, teste Nicolao Praeposito, „Abbas de Curia illud composuit ad opus Ducis Rogerii, filii Roberti (G)uiscardi propter indigestionem et ventositatem stomachi" etc. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 380 b; Manl. de Bosco f. 13 b. Reliqua dispensatoria omittere videntur.

Electuarium psylliticum (Aeg. med. l. 3. v. 312) medicamentum compositum mucilaginosum et laxativum, a psyllio semine nomen ducens. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 392 b; eiusd. antid. mai. f. 34 a; Quir. de Thertona f. 10 b; P. Suard. f. 11 b; Manl. de Bosco f. 4 a.

Electuarium de succo rosarum (Aeg. med. l. 3. v. 542) medicamentum compositum laxativum, in quod succus rosarum intrat. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 381 a; eiusd. antid. mai. f. 34 a; Quir. de Thertona f. 10 b; P. Suard. f. 11 a; Manl. de Bosco f. 14 a.

Emplastrum apostolicum (Aeg. med. l. 3. v. 648) ita dictum vel ob magnam efficaciam, vel, ut putant nonnulli, ob numerum specierum duodecimalem, vel „quasi epistolicum, supramissum." Vide Nicol. antid. min. f. 382 a; eiusd. antid. mai. f. 36 b; Manl. de Bosco f. 70 a; Nicol. Myreps. ed. Fuchs. p. 261.

Electuarium ad restaurationem humiditatis (Aeg. med. l. 3. v. 745) deest in Nicol. Praepos. antid. min.; habet vero Nicol. Praep. antid. mai. f. 33 b, ubi etiam Electuarium resumtivum audit; P. Suard. f. 11 b; Manl. de Bosco f. 14 a.

Catharticum imperiale (Aeg. med. l. 3. v. 752) medicamentum compositum laxativum „pro imperatoribus factum et pro aliis delicatis hominibus," vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 384 a; eiusd. antid. mai. f. 39 b; P. Suard. f. 14 a; Manl. de Bosco f. 15 a.

Mithridatum (Aeg. med. l. 3. v. 866) Mithridatum magnum, medicamentum compositum, secundum praescriptionem Damocratis vel apud nos adhuc notum, a rege Mithridate, ut ferunt, inventum. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 384 b; eiusd. antid. mai. f. 40 b; Quir. de Thertona f. 5 a; P. Suard. f. 15 a; Manl. de Bosco f. 15 a. Apud Aegidium sicut apud plerosque medii aevi scriptores semper Metridatus audit vel Metridatum.

Micleta (Aeg. med. l. 3. v. 967) medicamentum compositum aromatico - adstringens, cuius nomen, forsan ex Arabica lingua depromtum, per „Experta" declaratur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 386 a; eiusd. antid. mai. f. 41 a; Quir. de Thertona f. 11 a (Michleta); P. Suard. f. 16 a (Micheleta); Manl. de Bosco f. 16 a (Micleata); Nicol. Myreps. ed. Fuchs, p. 67.

Musa aenea seu ennea (Aeg. med. l. 3. v. 1031) medicamentum compositum opiatum, quod a Musa „peritissimo philosopho" inventum est, vel uti Platearius litem dirimit in expositione super Musa: „secundum voluntatem auctorum tale nomen sortita." Musa ennea (rectius, ut mihi quidem videtur, quam aenea) dicitur in Nicol. Praep. antid. min. f. 385 b, forsan a numero noveno specierum, quamvis apud ipsum Nicolaum decem species excepto melle praescribantur; novem species et fere easdem habet Antidotus Musa apud Nicol. Myreps. ed. Fuchs. p. 90. Musa enea dicitur in Nicol. Praep. antid. mai. f. 40 b, et apud Manl. de Bosco f. 16 a; Musa magna Nicolai apud P. Suard. f. 16 a.

Opopyra (Aeg. med. l. 3. v. 1100) medicamentum compositum, quod ad significationem nominis graeci Succus ignitus dicitur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 386 b; eiusd. antid. mai. f. 42 a; reliqua dispensatoria omittunt.

Oxy (Aeg. med. l. 3. v. 1224) medicamentum compositum acidulum, unde nomen eius; Oxy laxativum fit addito scammoneo. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 387 a; eiusd. antid. mai. f. 42 b.

Oxymel Juliani (Aeg. med. l. 3. v. 1232) mel acetosum, quod a Juliano inventum esse dicitur. Vide Nicol. antid. min.

f. 387 b (ubi vero Nicolai textus omissus est et Platearii tantum expositio invenitur); Manl. de Bosco f. 33 b.

Potio Sancti Pauli (Aeg. med. l. 4. v. 70) medicamentum compositum, quod Sanctus Paulus composuisse dicitur, vocatur etiam a Romanis Potio maior. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 387 b; eiusd. antid. mai. f. 45 b; reliqua dispensatoria omittunt.

Picra Galeni (Aeg. med. l. 4. v. 76) medicamentum compositum ex amaritudine nomen sumens. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 388 a; eiusd. antid. mai. f. 65 b; Quir. de Thertona f. 9 a; P. Suard. f. 13 b; Manl. de Bosco f. 1 a.

Paulinum (Aeg. med. l. 4. v. 85) etiam Paulinum magnum dicitur vel Paulinum antidotum maius. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 388 a; eiusd. antid. mai. f. 46 a; reliqua dispensatoria omittunt.

Panchristum s. *Panchrestum* (Aeg. med. l. 4. v. 103) medicamentum compositum opiatum, ita dictum, quod late patentis sit utilitatis. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 388 b; eiusd. antid. mai. f. 46 a; omittunt reliqua dispensatoria.

Pilulae aureae (Aeg. med. l. 4. v. 108) ita dictae sunt propter eximiam virtutem, aurum enim non continent. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 389 a; eiusd. antid. mai. f. 46 b; Quir. de Thert. f. 12 a; P. Suard. f. 20 a; Manl. de Bosco f. 51 b.

Pilulae sine quibus esse nolo (Aeg. med. l. 4. v. 141) item ob eximiam virtutem ita vel etiam breviter „Pilulae sine quibus“ dictae. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 388 b; eiusd. antid. mai. f. 46 b; Quir. de Thert. f. 13 b; P. Suard. f. 21 a; Manl. f. 51 b.

Pilulae diacastoreae (Aeg. med. l. 4. v. 160) a castoreo ingrediente dictae. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 389 a; eiusd. antid. mai. f. 46 a; Manl. f. 51 b.

Pilulae ogdomerae (Aeg. med. l. 4. v. 199), quia ex octo speciebus sunt compositae. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 389 a (octomerae); eiusd. antid. mai. f. 47 a (P. de octo rebus); Manl. f. 52 a (optomerae).

Pilulae de quinque generibus myrobalanorum (Aeg. med. l. 4. v. 207) ita dictae, quia myrobalani omnium quinque generum in eas ingrediuntur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 389 a; eiusd.antid. mai. f. 47 a; Manl. f. 52 a.

Pilulae stypticae (Aeg. med. l. 4. v. 214) a virtute adstringente sic dictae. In Nicol. Praep. antid. min. f. 389 a occurrunt sub nomine: Pilulae probatae contra fluxum ventris; in eiusd. antid. maiori videntur esse omissae. Manlius habet f. 52 a.

Pilulae ante cibum et post (Aeg. med. l. 4. v. 223) ad di-

gestionem adiuvandam. Vide Nicol. antid. min. f. 389 b; eiusd. antid. mai. f. 49 b; P. Suard. f. 21 b (P. imperiales); Manl. f. 52 a.

Pilulae arteticae (Aeg. med. l. 4. v. 266) ita dictae, quia contra arthritidem seu arteticam faciunt. Vide Nicol. antid. min. f. 389 a; eiusd. antid. mai. f. 49 a; Manl. f. 52 a.

Rosata novella (Aeg. med. l. 4. v. 321) medicamentum e rosis aliisque speciebus confectum, quod ob novam praescriptionem novellum appellatum est. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 389 b; eiusd. antid. mai. f. 51 a; Quir. de Thert. f. 3 a; P. Suard. f. 22 a; Manl. f. 16 a.

Rubea trochiscata (Aeg. med. l. 4. v. 352) electuarium aromaticum ita dictum a colore rubro et a trochiscis (hedychrois et croceis) quos recipit; ipsa vero Rubea non trochiscatur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 389 b; eiusd. antid. mai. f. 51 a; P. Suard. f. 22 a; Manl. f. 16 a.

Requies (Aeg. med. l. 4. v. 429) s. Requies magna s. Requies Nicolai, medicamentum compositum opiatum a conciliandа quiete nuncupatum. Vide Nicol. Praepos. antid min. f. 390 a; eiusd. antid. mai. f. 51 a; Quir. de Thert. f. 8 b; P. Suard. f. 22 a.

Rhodozaccara (Aeg. med. l. 4. v. 493) s. Saccharum rosatum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 390 a; eiusd. antid. mai. f. 66 b; Quir. de Thert. f. 32 a; P. Suard. f. 33 a; Manl. f. 28 a.

Rhodomel (Aeg. med. l. 4. v. 509) s. Mel rosatum. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 390 a; eiusd. antid. mai. f. 41 a; Quir. de Thert. f. 20 a; P. Suard. f. 16 a; Manl. f. 35 a.

Sotira (Aeg. med. l. 4. v. 541) s. Sotira magna, quasi Salvatrix, *σωτειρα*, dicta. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 390 a; eiusd. antid. mai. f. 51 b; reliqua dispensatoria omittunt.

Stomaticon (Aeg. med. l. 4. v. 571) medicamentum cum saccharo compositum, cuius quatuor exstant genera: St. confortans, laxans, calidum, frigidum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 390 b; eiusd. antid. mai. f. 52 a; P. Suard. f. 22 b.

Theriaca magna (Aeg. med. l. 4. v. 605), vulgo Tiriaca vel Tyriaca; medicamentum compositum dictum a voce *θηρ* i. e. animal ferum, quasi *αντιδοτον θηριακον*, quia contra ferarum morsus venenatos valet. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 391 a; eiusd. antid. mai. f. 55 b; Quir. de Thert. f. 4 b; P. Suard. f. 26 b; Manl. f. 16 a.

Tryphera magna (Aeg. med. l. 4. v. 783) medicamentum compositum opiatum, forsan ea de causa sic dictum, quia delicatulis hominibus convenit. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 392 b; eiusd. antid. mai. f. 57 b; Quir. de Thert. f. 8 a; P. Suard. f. 26 a; Manl. f. 17 a.

***

Tryphera Saracenica (Aeg. med. l. 4. v. 845) medicamentum compositum ab Arabibus s. Saracenis medicis ita dictum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 392 b; eiusd. antid. mai. f. 58 a; Manl. ch. 7 b.

Tria Sandali scilicet *ligna* (Aeg. med. l. 4. v. 945), medicamentum compositum calorem minuens. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 393 a; eiusd. antid. mai f. 58 a; Quir. de Thert. f. 2 b; P. Suard. f. 26 a; Manl. f. 17 a.

Theodoricon (Aeg. med. l. 4. v. 956) *hyperiston s. emperiston*, forsan εμπειριστον, nam „bene expertum" exponitur; Theodoretos vocatur apud Nicol. Myreps. ed. Fuchs, p. 71. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 393 a; eiusd. antid. mai. f. 58 b.

Theodoricon anacardinum (Aeg. med. l. 4. v. 1027) ab anacardis intrantibus ita dictum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 393 b; eiusd. antid. mai. f. 58 b; Manl. f. 17 a.

Vomitus Patriarchae (Aeg. med. l. 4. v. 1103) medicamentum compositum emeticum, Patriarchae cuidam inventori adscriptum. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 394 a; Manl. f. 17 a.

Unguentum citrinum (Aeg. med. l. 4. v. 1166) a citri fructu ita dictum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 395 a; eiusd. antid. mai. f. 63 a; Quir. de Thert. f. 24 a (secundum aliam praescriptionem); P. Suard. f. 31 b; Manl. f. 61 b, (alias praescriptiones f. 66 b, et 68 b).

Unguentum aureum (Aeg. med. l. 4. v. 1185) propter virtutis excellentiam ita dictum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 395 b; eiusd. antid. mai. f. 63 a. P. Suard. f. 30 a et Manl. f. 58 b habent sub hoc nomine alias formulas.

Unguentum populeon (Aeg. med. l. 4. v. 1191) ita dictum, quia fit de oculis populeis. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 395 b; eiusd. antid. mai. f. 63 b; Quir. de Thert. f. 24 a; P. Suard. f. 30 b; Manl. f. 62 a.

Unguentum Marciaton (Aeg. med. l. 4. v. 1235) a Martiano vel Marciano vel Martiatone philosopho, ut fertur, inventum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 394 b; eiusd. antid. mai. f. 60 a; Quir. de Thert. f. 35 a; P. Suard. f. 30 b; Manl. f. 60 a.

Unguentum dialthaea (Aeg. med. l. 4. v. 1250) ab althaea radice ita dictum. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 395 a; eiusd. antid. mai. f. 64 a; Quir. de Thert. f. 25 a; P. Suard. f. 31 b; Manl. f. 61 b.

Unguentum arrogon (Aeg. med. l. 4. v. 1290) s. arragon s. aragon s. arogon s. arigon, quae vox per „adiutorium" explicatur. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 394 b; eiusd.

antid. mai. f. 63 b; Quir. de Thert. f. 25 b; P. Suard. f. 31 a; Manl. f. 61 a.

Unguentum Agrippa (Aeg. med. l. 4. v. 1306) ab Agrippa rege Judaeorum ita dictum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 394 b; eiusd. antid. mai. f. 64 a; Quir. de Thert. f. 25 b; P. Suard. f. 31 a; Manl. f. 62 b.

Unguentum fuscum (Aeg. med. l. 4. v. 1322) a colore dictum. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 395 b; Manl. f. 62 a; reliqua dispensatoria omittunt.

Unguentum album (Aeg. med. l. 4. v. 1324) s. de cerussa crudum. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 64 b; Quir. de Thert. f. 24 a; P. Suard. f. 32 a; Manl. f. 58 b, f. 65 b.

Yeralogodion (Aeg. med. l. 4. v. 1326) rectius Hiera Logadii, medicamentum sacrum ex inventione Logadii. Vide Nicol. Praep. antid. min. f. 396 a; eiusd. antid. mai. f. 65 b; P. Suard. f. 13 b; Manl. f. 17 b. Etiam Memphitum appellatur, quia in Aegyptiorum urbe Memphis inventum esse ferunt, v. Aeg. med. l. 4. v. 1331.

Yera picra Galeni (Aeg. med. l. 4. v. 1387) rectius Hiera picra Galeni, differt a Picra Galeni, quod etiam agaricum, turbith et colocynthides contineat. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 396 b; eiusd. antid. mai. f. 65 b; Quir. de Thert. f. 9 b; P. Suard. f. 13 b; Manl. f. 17 a.

Yera Constantini (Aeg. med. l. 4. v. 1410) rectius Hiera Const., ab auctore (Constantino Africano ?) sic dicta. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 396 b; eiusd. antid. mai. f. 65 b. Manl. f. 2 b.

Yera Rufini (Aeg. med. l. 4. v. 1523) rectius Hiera Ruf., ab auctore dicta. Hunc auctorem putaverim esse Rufum Ephesium, cuius Hieram indicat Paulus Aegineta in tractatu *περι τῶν ἱερῶν ἀντιδοτων*; (art. med. l. 7. c. 8) cfr. Chr. Frid. de Matthaei Rufi Ephesii opuscula et fragmenta, Mosquae 1806. 8., pag. 164 et 247; igitur potius dicendum esset Hiera Rufina. Vide Nicol. Praepos. antid. min. f. 396 b; eiusd. antid. mai. f. 65 b.

4. LIBER DE SIGNIS MORBORUM.

Hunc librum itidem metrice compositum serius adhuc, quam librum de medicamentis Aegidius noster conscripsit (med. l. 1. v. 241 . . . 247), sed latet adhuc manu scriptus in bibliothecarum latebris ignotis. Christoph Gottlieb de Murr, vir in coëmendis divendendisque codicibus manu scriptis per totam vitam occupatus, habebat ex bibliotheca Thomasii codicem

manu scriptum, in quo legebatur Aegidii *tractatus de signis et symptomatibus aegritudinum,* constans capitibus 78, incipiens ita:

Aude aliquid, mea Musa, novi, proscribe timorem,
Parcius arguti timeas censoris acumen,
Atque theonini morsus ad vulnera dentes
Aequa mente feras, discas sufferre cahinnos,
Ne trepida, quam mutus erit feritate remota
Quem saevire times etc.

Ultimus versus erat:

Crudaque materies cum digestivo fatiscit.

Sed quonam pervenerit codex iste, et ubi locorum nunc lateat, nec cognoscere potui, nec alium quendam huius poëmatis codicem nancisci. Quaerant nunc alii harum rerum curiosi, et si felicius, quam mihi, negotium cesserit, publicare opus non differant, ut denique completa habeatur Aegidii operum editio. Cfr. C. G. de Murr Journal zur Kunstgeschichte, Nürnberg, 1777. 8. Theil 4. S. 104.

III. DE EDITIONIBUS IMPRESSIS.

Liber de urinis cum libro de pulsibus Aegidii pluries simul prodiit, addito commentario Gentilis de Fulgineo, sic

Paduae, 1484. 4. *cura Avenantii de Camerino.* Praecedit liber de urinis cum duplici commentario: *expositione* scilicet, quae est Gentilis de Fulgineo, et *commento,* quod forsan ipsius Aegidii esse posset. Sequitur dein liber de pulsibus cum simplici commentario Gentilis de Fulgineo. Hunc librum de pulsibus praecedit brevis praefatio, quae his verbis incipit: *„(A)Venantius mutius de camerino. Alexandro de bartholaciis de monte ulmi. salutem plurimam dicit. Suscepi nuper amicorum optime Alexander ac patriae tuae honor et decus communi iuvenum medicine studentium utilitate ductus opuscula duo corrigenda pulcherrima quidem maximeque cognitu necessaria: quorum alterum de pulsibus: alterum de urinis inscriptum est. Hanc emendationem meam cum alicuius docti peritique iudicio subiicere vellem: tu mihi occurristi hac dignus censura etc. etc ...... quare perlege queso hec duo opuscula atque castigationes meas diligenter perpende: nec non ut tibi videbitur: corrige: quo audactius ea impressoribus transcribenda tradere possimus. vale.“* Litteris gothicis impressa est haec editio sine signaturis et custodibus, lineis 32 in pagina plena. In fine legitur: *„Hic finis imponitur tractatulo pulsuum Magistri Egidii cum commento Gentilis de Fulgineo qui impressus fuit Padue per magistrum*

Mattheum cerdonis de Vuindischgretz die Januarii Anno domini 1484."

Venetiis, 1494. 4. Repetitio prioris eodem modo disposita; litteris gothicis, cum signaturis (a . . . s), sed sine custodibus impressa, lineis 43 in pagina plena. In fine legitur: „*Hic finis imponitur tractatulo de cognoscendis urinis et pulsu peritissimi magistri Egidii cum expositione et commento magistri Gentilis de fulgineo summa cum diligentia pluribus in locis castigatus a magistro Auenantio de camerino artium et medicine professore Venetiis impressus per Benardinum Venetum expensis. d. Jeronymi duranti. die.* 16. *mensis februarii.* 1494."

Lugduni, 1505. 8. Repetitio editionis Avenantianae, litteris gothicis impressa (v. Paschalis Galli biblioth. med. p. 6; Israel. Spachii nomenclator. script. medicor. p. 90, et ex his van der Linden, Mercklin aliique).

Lugduni, 1515. 8. Repetitio editionis Avenantianae, litteris gothicis impressa, mendis operarum plurimis deformata. In fine legitur: „*Hic finis imponitur tractatulo de cognoscendis urinis et pulsu etc. . . . impressus Lugduni per Jacobum myt. Anno Millesimo quingentesimo decimo quinto. Die vero iij Octobris.*

Lugduni, 1526. 8., cum Gentilis de Fulgineo commentariis (Catalog. biblioth. medico-physicae Baldingeri, tom. I. p. 241. n. 3874).

Basileae, 1529. 8., *in aedibus Thomae Wolffii.* Repetitio editionis Avenantianae litteris rotundis impressa, pluribus adhuc mendis typographicis inquinata, quamvis aliquae voces, quae in praecedentibus editionibus corruptius legebantur, in hac emendata sint. Ita editiones Avenantianae 1484 et 1494 omnibus aliis editionibus recentioribus praeferendae sunt, quippe quae ab iis descriptae sint.

Libri quatuor de laudibus et virtutibus compositorum medicaminum semel tantum typis excusi sunt et quidem in collectione poëtica admodum rara, scilicet in *Polycarpi Leyseri historia poëtarum et poëmatum medii aevi, Halae Magdeburgicae,* 1721. 8. a pagina 502 usque ad paginam 691. Haec impressio secundum codicem Guelpherbytanum a Marquardi Gudii manu exaratum (π,) ita negligenter facta est, ut plures versus omnino desint, numerus versuum pluries perturbatus sit, voces codicis perspicue scriptae in plane alias permutatae, vel infelici coniectura emendatae sint et innumera typothetae sphalmata occurrant.

IV. EDITIONIS RATIO ET ADMINICULA.

In hac ipsa editione adornanda id ante omnia agendum videbatur, ut genuinus Aegidii textus restitueretur et quam accurate typis excuderetur, dein ut etiam necessaria explicatio non omnino deesset.

Quod attinet ad textus integritatem restituendam, usus sum auctoritate codicum manu scriptorum et editionum impressarum, quatenus utrumque adiumentum adire mihi liceret. Ne autem ipsis emendationibus, quas ex his fontibus haurire licuit, fides idonea deesset, fontes ipsos indicavi sequenti modo:

In carmine de urinis indicatur per graecam litteram

α) Codex ms. Paulinus Lipsiensis, membranaceus, folio minori (num. 1213; vide catalogum Felleri p. 280. n. 40); scriptus sub initio saeculi XIV., forma litterarum nitida et perspicua. In fine: „*Expliciunt versus et commentum magistri egidii.*"

β) Cod. ms. Paul. Lips. membran. fol. min. (n. 1168; v. catal. Felleri p. 280, n. 39); nitide scriptus et a recentiori manu interdum correctus, in fine saeculi XIII. Legitur in pagina secunda et tertia: „*Liber Monasterii Veteris Cellae Sctae Mariae ad publicum repositus armarium. Anno salutis* 1506."

γ) Cod. ms. Paul. Lips. membran. fol. (n. 1169; v. catal. Fell. pag. 262, n. 41), scriptus saeculo XIV medio; in secunda et tertia pagina legitur: „*Liber monasterii Veteris cellae Repositus ad bibliothecam publicam ex Testamento D. Doctoris Munzemeister Anno* 1506."

δ) Cod. ms. Paul. Lips. membran. fol. min. (n. 1165; v. catal. Fell. p. 278, n. 28), festinante manu scriptus saeculo XIV. exeunte; deest commentarius. Secundae et tertiae paginae inscripta sunt haec verba: „*Liber Monasterii Veteris Cellae Sanctae Mariae Repositus ad Bibliothecam publicam Anno* 1506." Convenit in multis cum cod. λ.

ε) Cod. ms. Paul. Lips. membran. fol. (n. 1166; v. catal. Fell. p. 256, n. 25) scriptus sub fine saeculi XIV. Legitur in initio: „*Versus Egidii cum commento Gileberti,*" in fine: „*Expliciunt versus Egidii cum commento Gileberti.*"

ζ) Cod. ms. Paul. Lips. membran. fol. (n. 1176; v. catal. Fell. p. 269, n. 9) scriptus saeculo XV. medio; amplissimi de urinarum iudiciis commentarii, quibus versiculi Aegidiani quasi gurgiti vasto innatant.

η) Cod. ms. Paul. Lips. chartac. fol. (in eodem codicum fasciculo 1176) eodem tempore scriptus. Versus Aegidii cum commentariis.

ϑ) Cod. ms. Paul. Lips. partim chartaceus, partim membranaceus, fol. maiori (n. 1164), scriptus saeculo XV. exeunte. Habet carmen Aegidii cum scholiis et commentariis; desunt folia nonnulla.

κ) Cod. ms. Paul. Lips. chart. fol. (n. 1167; v. catal. Fell. p. 264, n. 44), scriptus saeculo XV. In fine leguntur verba: „*Explicit Egidius de urinis cum optima lectura M. Bernhardi anno Domini* 1417 *in vigilia Sancti Wentzeslai martiris et patroni Boemorum. Deo gratias.*"

λ) Cod. ms. Guelpherbytanus, olim Beireisianus, membran. 4. (n. 47, 13). Huic fasciculo codicum adscriptum est sub fine manu recentiori et festinante, forsan saeculi XVI., carmen de urinis incompletum sub titulo: „*Urinae Examinatio Magistri Aegidii.*" Desunt commentarii. Multas et audaces, interdum vero bonas, habet mutationes.

π) Cod. ms. Guelpherbytanus, olim Gudianus, chartaceus, 4. (n. 196 Gud.). Hunc codicem, qui continet Aegidii carmen de medic. comp., de urinis, et de pulsibus, transscripsit Gudius e veteri codice (μ,), cuius notae dubiae et non extricabiles interdum apposuit. Bonas habet lectiones.

ββ) Editio impressa Venet. 1494. 4.
γγ) —— —— Lugd. 1515. 8.
δδ) —— —— Basil. 1529. 8.

In carmine de pulsibus indicatur per graecam litteram

ϱ) Cod. ms. Paul. Lips. membran. fol. (n. 1144; v. catal. Fell. p. 255, n. 21), ineunte saeculo XIII. scriptus; omnium praestantissimus. Continet etiam commentarios.

σ) Cod. ms. Paul. Lips. membr. fol. min. (n. 1165; cfr. litt. δ) scriptus saeculo XIV. exeunte. Adsunt commentarii.

τ) Cod. ms. Paul. Lips. partim chart. partim membran. fol. maiori (n. 1164, cfr. litt. ϑ) scriptus saeculo XV. exeunte. Continet scholia.

π) Cod. ms. idem, qui sub carmine de urinis hac littera insignitur, scilicet codex autographus Marquardi Gudii ex vetustiori codice μ descriptus.

φ) Cod. ms. Guelpherbytanus, olim Beireisianus, membran. 4. (cfr. litt. λ) accurate scriptus saeculo XIV. Desunt commentarii; titulus est: „*Versus magistri Egidii de pulsu.*" Continet lectiones antiquas et omnium optimas; saepe convenit cum cod. σ.

ψ) Cod. ms. Dresdensis, olim monasterii Veteris cellae, chartac. 4. (B, 183) scriptus anno 1412, uti patet ex inscriptione finali. Ab optimo quodam codice descriptus esse videtur, nam bonas habet lectiones et saepe cum cod. ϱ convenit. Explicationem habet interlinearem, quae etiam varias lectiones continet. In fine: „*Explicit liber de p. Egidii cum summa expositionis cuiusdam salerni qui fuit in monte-pessulano licenciatus.*"

αα) Editio impressa Paduae 1484. 4.

ββ) —— —— Venet. 1494. 4.

γγ) —— —— Lugd. 1515. 8.

δδ) —— —— Basil. 1529. 8.

Praeterea hoc Te scire cupio, lectiones in textum receptas, nulla vero auctoritatis notula instructas, ex antiquioribus editionibus impressis desumtas esse.

In carmine de compositis medicaminibus ad textum, qui maxime depravatus erat, restituendum adhibui codicem ms. chartaceum Guelpherbytanum, qui Marquardi Gudii manu scriptus tria Aegidii carmina exhibet. Hunc codicem semper per litteram π indicavi; antiquiorem codicem, ex quo Gudius illum descripsit, indicavi per litteram μ, quamvis eum ipse non viderim, sed solum sigla illa, quae Gudius interdum ex eo apposuit et quae saepissime ad meliorem lectionem viam aperiunt. Polycarpi Leyseri impressionem per Ls., Gudianas coniecturas per G. notavi. — Vidi praeterea etiam codicem manu scriptum ex bibliotheca publica Hamburgensi, constantem ex 223 foliis in forma quarta, et tria Aegidii carmina continentem. Hunc codicem Vogelius, medicus Hamburgensis, scribendum curavit et bibliothecae Hamburgensi legavit ex testamento. Est vero recentissimus et nullius pretii, quoad carmen de medicamentis

totus ex Leyseri impressione cum omnibus erroribus, maxime conspicuis quoque, descriptus, quoad reliqua duo carmina sequitur editiones impressas. Novi igitur nil continet.

In ipsis emendationibus sedulo operam dedi, ut codicum manu scriptorum et impressorum auctoritate nulla penitus careret; si vero nova quaedam lectio tentanda erat, uti saepe in carmine de medicamentis, id ipsum indicavi, ne Aegidio imputaretur error, qui meus vere esset. Temporis rationem in hoc negotio me habuisse, igitur secundum latinitatem, prosodiam et medicinam medii (non Augustei) aevi me emendasse, et emendare debuisse, per se patet.

In explicationibus paucus fui, cum doctis viris, historica et medica doctrina bene imbutis, non vero tironibus scriberem et chartis quodammodo parcendum esset. Multa vero, quae ex ipsis notulis, textui subiectis, nondum satis explicata videri possint, lucem accipient his ipsis prolegomenis perlectis, praesertim vere iis eorundem paginis, quae introductiones sistunt in singula Aegidii carmina.

Superest, ut pauca moneam de scribendi ratione, quam orthographiam vocant. Cum antiquissimi codices ab Aegidio eiusve coaevis scripti non extarent, vera itaque Aegidii orthographia ex codicibus disci non posset, vulgarem verba latina scribendi modum servandum esse duxi, exceptis tum iis locis, ubi ex ipso carmine eluceret, Aegidium sic scripsisse, tum iis medicae artis terminis technicis, qui apud omnes illius temporis medicos certo quodam, quamvis non laudabili modo scriberentur. Sic e. gr. scripsi *Yera* pro Hiera, quia ordo alphabeticus in recensendis medicaminibus compositis ab Aegidio servatus id posceret, scripsi *Yeralogodion* pro Hiera Logadii, quia ex ipsius Aegidii verbis (Med. l. 4, v. 1329, 1330) pateret, eum vere sic scripsisse. Metri ratio, quamvis apud Aegidium magis ad verborum accentum syllabarumque vim, quam ad antiquorum poëtarum prosodiam et syllabarum quantitatem sit accommodata, tamen interdum aperte satis ostendit veram Aegidii scripturam, e. gr. *Antophilus* pro Antophyllus, *Pentaphilon* pro Pentaphyllon, *Pionia* pro Paeonia, *Hysopus* pro Hyssopus, *Hypocras* pro Hippocrates, *Galienus* pro Galenus, *Diarhodon* pro Diarrhodon, *Disnea* pro Dyspnoea (med. l. 3, v. 747), *Cephalea* pro Cephalaea (ib. l. 4, v. 543) etc. Communis medicorum medii aevi usus in quibusdam verbis perperam scribendis prohibuit, quo minus voces *Metridatum* in Mithridates, *Tiriaca* in Theriaca, *Gariofilus* in Caryophyllus, *Dragagantum* in Tragacantha, *Arthemesia* in Artemisia, *Empima* in Empyema, *Squinantum* in Schoenanthum, *Squinance*

in Cynanche, *Artetica* in Arthritis, *Lilifagus* in Elelisphacon, *Pexis* in Pepsis, *Sclirosis* in Sclerosis etc. mutarem, quamvis in aliis vocibus a recto minus abhorrentibus et (quod gravius est) non tam universe male scribi solitis, eiusmodi mutationem vere fecerim, ita ut *Fleuma* in Phlegma, *Epar* in Hepar, *Menta* in Mentha, *Chimus* in Chymus et alia huius generis constanter mutarem.

MAGISTRI

AEGIDII CORBOLIENSIS

LIBER

DE URINIS

METRICE COMPOSITUS.

PROOEMIUM.

Liber iste novae institutionis, quem legendum proponimus, studiosae compositionis artificio de antiquorum scriptis est elicitus et extortus; in quo physicalis scientiae resultant arcana et secreta urinarum iudicia continentur, quem, quoniam lectoris animum erigit et extollit in iudiciorum statu, inscripsimus instituta de iudiciis urinarum. In hoc autem opere metrice describuntur urinarum praeceptorum traditiones. Metrica autem oratio succincta brevitate discurrens definitis specificata terminis alligata est certitudini; ideoque confirmat memoriam, corroborat doctrinam. Prosaica vero oratio propria subterfugiens libertate turbat memoriam, ignorantiae parit confusionem. Unde, quae certa ratione debent censeri et expresso commemorationis charactere sigillari, potius metricae brevitatis affectantur compendium, quam prosaicae prolixitatis dispendium. Fortasse igitur de versibus incompositis et de metri incongruitate nos lector arguet importunus: sed attendat, quod physicalium verborum ea lex est, quod metricae orationis consortium dedignantur. Vix enim magno conatu mansuescere potuerunt, ut metrorum legibus arcerentur. Ab hoc autem opere fugiant planetici discur-

Prooemium omittunt γ, δ, ε, κ, λ, π. Cum in editionibus impressis, quas vidi, hoc prooemium adeo corruptum legatur, ut vix intelligi queat, restituere id conatus sum e duobus codicibus antiquissimis (α. β.), ita ut ex utroque verisimillimam lectionem eligerem, nil tamen in textum reciperem, quod horum codicum auctoritate penitus destitueretur.

1) *Liber iste novae institutionis, studiosae compositionis* α. — 2) *Elicitus et exortus* α. — 4) *Continentur, quem si quis studiose inspexerit, in urinarum institutis et in statu praeceptorum merebitur exaltari* β.; *continentur, quem si quis ..... exaltari, quae quemlibet lectoris animum erigunt et extollunt* ϑ. — 6) *Describuntur regularum et praeceptorum* α. — 10) *Libertate conturbat memoriam* β. — 16) *Ea lex est et ratio, quod metricae orationis inire dedignantur consortium. Vix enim conatu multo mansuescere et vix castigari poterunt, quod metrorum legibus coarctantur* β.

sores alienis fecibus imbuti, quos a nostro dogmate profanamus. Sociis autem nostris domesticae fidei, quorum gratia hoc opus suscepimus, huius novae institutionis primitias offerimus. Distinguitur autem liber iste in duas partes, in primam scilicet et secundam. In prima agitur de iudiciis urinarum secundum colorum et substantiarum cognitionem; in secunda de iudicio ipsarum urinarum secundum distinctionem contentorum.

DE URINA IN UNIVERSUM.

Dicitur urina, quoniam fit renibus una,
Aut ab urith graeco, quod demonstratio fertur,
Aut quia, quod tangit, mordet desiccat et urit.
Ut de lacte seri se limpidus eliquat humor
Sic liquor urinae de massa sanguinis exit.
Sanguinis est urina serum, subtile liquamen
Humorum, quos conficit ars regitiva secundi
Et princeps operis: dum fit cribratio rerum,
Dum fit ab impuris purae discretio partis.

DE CONDITIONIBUS URINAE.

Quale, quid, aut quid in hoc, quantum, quotiens, ubi, quando,
Aetas, natura, sexus, labor, ira, diaeta,
Cura, fames, motus, lavacrum, cibus, unctio, potus,
Debent artifici certa ratione notari,
Si cupit urinae iudex consultus haberi.
Quattuor ex primis, cum praecipue dominentur,

---

20) *Opere profanamus eos, qui vetiti sunt discursores alienis fecibus imbuti* α. *Imbuti et a Musandino dogmate recedant alieni* ββ. Discursores, forsan monachi in provincias emissi et mendicando vagantes, forsan pharmacopolae circumforanei? — 22) *Dividitur autem liber in duas particulas, in prima agitur* ϑ. — 23) *In primam videlicet et secundam* β.

1) *Fit in renibus* λ et Edd. impressae. — 2) Hunc versum omittit λ. *Urit* α, δ, ϑ. *Graece* α, δ, π. *Vel ab uron* π. Urinam dictam esse a graeco verbo urith (forsan ορισμα) quod demonstrationem significat, quia urina interiorum partium conditionem demonstrat. — 3) *Vel quia* π. *Tangit, exiccat, mordet et urit* λ. *Desiccat, aburit* α. — 4) *Lacte serum se* Edd. impr.: *serum sic* λ. *Liquidus eliquat* ζ. Versum 4 et 5 omittit η. — 7) *Quod conficit* δ, π. Ars regitiva et princeps operis secundi est digestio secunda, quae humores secernit. Versus 6...9 omittit γ, λ. — 10) *Quoties, ubi* λ. — 12) Lavacrum i. q. balneum. — 14) *Si cupis* Edd. impr., α, β; *si cupit* ε, η, ϑ, κ, λ, π. *Judex discretus* ζ, η. Versus 14 ... 18 omittit γ. — 15) Primae quatuor conditiones (v. 10.) sunt: color, substantia, contenta et quantitas urinae. *Dominantur* α, κ, λ.

Debet iudicii potior sententia sumi:
Integritas, lapsus, virtus, vitium, minus aut plus
Et status his medius fit ab hoc examine certus.

DE COLORIBUS URINAE.

Bis deni urinam possunt variare colores
Quos ex subscriptis poteris perpendere formis. —
Nigrior urinae facies incommoda febris
Quartanae solvit, mortem portendit, adurit.
Si niger ad fundum residens se deprimat humor
Matrix purgatur multi sentina fluoris.
In febre fert mortem nigra, foetida, paucula, pinguis,
Vesicae vitio prorsus renumque remoto. —
Multa die critico, quam nigra et pendula nubes
Largius obfuscat, sedimenque natatile turbat,
Auribus oppressis, turbata pace soporis
Sanguineum fluxum signat de nare futurum,
Sed si signa mali concurrant sive salutis,
Judicio mortis damnat vel liberat aegrum. —
Congrua mixturae cum spisso foedera servans
Subtilis coitum refugit nigredo liquoris,
Ut tenuem toleret, qui non sibi concolor haeret,
Impetrat eventus, casusque facit violentus:
Non obstrusa parum deductio clausa viarum. —

---

17) *Integritas laxus* μ. *Virtus, vitium* α, β, η; *vitium, virtus* Edd. impr. *Munus amplum* λ. — 18) *Atque status medius fit* η; *et status, haec medicum faciunt examine certum* λ. — 20) *Poteris cognoscere* α, η, λ. *Perpendere causis* π. — 21) *Urinae nigrae facies* λ. — 22) *Portendit et urit* Edd. impr.; *adurit* α, ε, ζ, η, ϑ, ϰ, π. Scilicet, vel mortem significat, vel adustionem, si vel livida urina vel viridis praecesserit; quare codex ϰ post versum 22 interponit hunc versum: *Praecedens livor aut viror distinguit utrumque*, quem nec alii codices, nec editiones hoc loco habent, sed v. 254. — 23) *Fundum vasis se* ζ. *Deprimit humor* ζ, η, ϑ, ϰ, λ, π; *deprimat* codd. reliqui et edd. — 24) *Purgatur matrix* ϑ. — 25) *Fert mortis signum nigra foetida pinguis* ζ; *est mortis signum nigra foetida pinguis* λ. *Paucula pinguis* α, γ, δ, η, ϰ, π; *pauca pinguis* Edd. impr. — 27) *Nigra pendula* η, ϰ. Versus 27—37 omittit λ. — 28) *Natabile* β, ϰ. — 30) *Fluxum dictat* α, ϰ, π; *fluxum monstrat* η. — 31) *Signa necis* Edd. impr.; *mali* α, β, γ, δ, ε, ϑ, ϰ, π. — 33) *Cum spissa* ϰ. Sensus est: Urina nigra semper spissa nunquam tenuis est, nisi cum adsit obstructio vasorum. — 34) *Refugit coitum* π. *Nigredo coloris* ε, ϑ, π. — 35) *Tolleret* Edd. impr.; *toleret* α, δ, ε, ϑ, ϰ. — 36) *Imperat* ϑ. — 37) *Non obstructa* γ. Post versum 37 addit Cod. ϰ. *Cum tenui nigra, non fit, nisi sit via clausa.*

Livida si fuerit, livor vel particularis
Vel totalis erit; per totum livida: membrum
Aut membri monstrat humorem mortificari;
At sursum livens variis accommoda causis:
Parvus hemitriteus, medius, morbusque caducus,
Ascites, synochus, venae ruptura, catarrhus,
Stranguriae lapsus, matricis passio, fluxus,
Costae pulmonis vitium, dolor articularis,
Consumtiva phthisis, vis exstinctiva caloris,
Sint tibi livoris causae, quas collige signis.
Paucula, vix mincta, livens, oleagina mortem;
Stranguriam monstrat livida pauca frequens;
Livor cum granis seiunctis atque minutis
Constanter loquitur spirituale malum;
Lividitas atomosa malum probat articulare,
Est quoque rheumatici nuncia fida mali.
Vertebra si matrix oppresserit aut diaphragma,
Inficit urinae lividus ora color. —
Albo subtilis urina iugata colori
Splenem, hydropem, crapulam, nephresim, phrenesin, diabetem,
Arteticam, choleramque nigram, paedicon, scotomiam,
Hepatis algorem, cum febris caumate mortem;
In sene vim fragilem, vel defectum puerilem,
In laesis humeros aut collum, lipothymiam;

---

38) *Vel livor* Edd. impr., *livor vel* α, β, ε, ζ, η, ϑ, κ, λ, π. — 39) Si tota urina livida est, significat membrum mortificari aut membri humorem. — 40) *Et membri monstrat virtutem* α. *Pravo designat, quod mortificetur humore* λ. — 41) *Aut sursum* Edd. impr. *at* β, ϑ, λ. Livor particularis, scil. in suprema regione urinae. — 42) Hemitritaeus parvus et medius, tertia eius species hemit. maior est. *Affectus chronicus patet hinc morbusque caducus* λ. — 44) Fluxus scil. ventris. — 45) *Pleumonis vitium* π. — 46) *Phthisis vis, extinctumque calorem* λ. — 47) *Sunt in livore haec, quae certis collige signis* λ. — 48) Pauca vix mincta i. q. urina pauca et raro missa. Oleagina i. q. oleosa. — 49) Pauca frequens i. q. ur. pauca et saepe missa. *Monstrat tibi livida micta frequenter* λ. — 50) *Livida* Edd. impr.; *livor* fere omnes codd. — 51) *Loquitur tibi morbum spiritualem* λ; Spirituale malum i. q. morbus respirationis. — 52) *Livida mixta atomis morbum probat articularem* λ. — 54) *Si versa est matrix, oppressum vel diaphragma* λ. *Matrix compresserit* Edd. impr. Vertebra i. q. vertebrae, a voce vertebrum; si uterus vel vertebras tangit reclinatus vel diaphragma premit elevatus. — 57) *Splen, hydropem* α, β, γ, ε, ζ, ϑ, κ, λ, π. — 58) *Tetanum scotomiam* λ. Artetica i. q. arthritis; paedicon i. q. epilepsia. — 59) *Algore oppressum cum febris causa te mortem* λ. — 60) *In sene defectum, magnum puero nocumentum* λ. — 61) Quibus humeri aut collum ex causa interna dolent, his alba tenuis significat lipothymiam.

Quartanam febrem declarat et amphimerinam,
Matricis varias notat in muliere querelas,
Haec haemorrhoidas et condylomata signat.
(Alba frequens mincta, tenuis, resolutio longa
Carnea, notificant, si conveniant, diabetem.)
Ut se iudiciis fallax non inserat error
Talis cruda potest atque indigesta vocari.
Clarior alba crisi non praecedente profanat
Continuo phrenesim: phrenesis mortale propinat. —
(Glauca vel alba notat hieranoson plumbea circum).
Spissi suscipiens commercia nulla liquoris,
Est in iudicio **glaucus** color aemulus albo,
At minus offendit nativi iura caloris.
Si fuerit tenuis mediocriter, aut mediocris
Glauca vel alba, notat excessum phlegmatis acris;
Glauca melancholicae craseos est conscia testis.
Lactea subtenuis in acutae caumate febris,
Litis in ingressu signis adiuncta sinistris,
Damnat et accusat patientem crimine mortis;
Fallitur urinae sententia, si tibi certo
Ordine concurrant, quae sunt vitalia signa:
Mens, sopor, affectus, bona respiratio, virtus.
Lactea subtenuis cum largo fusa liquore
Fine mali veniens, defervescente calore
Solvit et a morbi laqueis emancipat aegrum;

---

62) *Febrem quartanam γ, δ. Designat β.* Febris amphimerina i. e. febris quotidiana. — 64) Omittit λ. — 65) *Frequens multa β.* — 66) *Carnea mortificant β.* Omittitur hic et antecedens versus ab editionibus impressis et quibusdam codicibus, habent vero hos versus β, ζ, η, κ. — 67) *Se iudicio ζ; se iudicii* Edd. impr.; *se iudiciis γ, δ. Misceat error π.* — 68) *Potest aut β, ζ, η, ϑ; potest vel α, π.* — 69) 70) Omittuntur a codice α, γ, ε, ϑ, λ, π. Cod. β. reiicit hos duos versus pone versum 91. *Praecedente prophetat β; praecedente figurat η, κ. Continuam phrenesim η. Mortale propinquat* Edd. impr. — 71) Omitt. Edd. impr. et plur. Codd.; habent hunc versum ζ, η, κ. Hieranosos i. q. epilepsia. — 72) Glauca nunquam simul spissa est; similis significationis, ut alba, sed melioris. — 73) *Albi λ.* — 74) *Sed λ. Coloris* Edd. impr.; *caloris α, δ, ε, ϑ, π.* — 75) *Si fuerit tenuis, glaucus color aut λ.* — 76) *Phlegmatis albi λ.* — 77) *Glauca, quae tenuis criseos est conscia testis λ; craseos fit conscia ε.* Versus 78 usque ad 91 omittit λ. — 79) In principio acutae et ardentis febris. — 81) Sed mortem non praesagit haec urina, si in certo ordine concurrunt vitalia signa, i. e. quae sanationem et vitam promittunt. — 82) *Concurrunt κ.* — 83) *Respiratio, vultus β.* Affectus i. q. bonus appetitus; virtus i. q. vires. — 86) *A mortis α, β, γ.*

In febre, quam replicat typicusque interpolat error,
Lactea subtenuis dictat, quod causa sit eius
Frigida, pressuram longi factura laboris.
Lactea subtenuis febre declinante salutem
Impetrat et corpus relevat vitamque refirmat.
  Albescens **charopos** vel lactea spissa figurat
Hydropisin, colicam, lapidem, capitisque dolorem,
Phlegmatis excessum, membrorum rheumata, fluxum,
Talis apostaseos causam complexio solvit.
(Lactea vel charopos nunquam tenuis reperitur.) —
  Saepe fit urinae distans substantia, vultus
Dispar, ut a medio vel summo discrepet imum:
Summa superficies, mediana vel infima spissa
Summam vel mediam, vel partem concutit imam,
Et similis simili servit regio regioni,
In reliquis est consimilis ratio generalis. —
  Pallida cum pingui vel subcitrina liquore
Phlegmaticae monstrat periodica frigora febris.
Pallida cum tenui choleram declarat adustam,
Pallida subtenuis ex acri phlegmate febrem.
Pallida cui spissum mediocriter associatur
Phlegmaticae craseos interpres fida probatur.
Si male disposito praecedat corpore glauca
Lactea vel charopos et pallida post videatur:
Signo palloris vires natura resumit
Et redit ad proprium vis digestiva tenorem.
In febre continua lenta subpallida clara
Pondus apostaseos in dextra parte futurum

---

87) *Interpellat error* Edd. impr.; *interpolat* fere omnes codd.; *intervolat* π. — 88) *Sit huius* η. — 89) In febre intermittente significat longam durationem morbi. — 91) *Reformat* α, β, γ, ε, η, ϑ, ϰ, π. Huc transfert β versus 69 et 70. — 92) *Spissa notabit* λ. Charopos, *χαροπος*, color flavus, similis camelorum velleribus; *karopos* scribunt Edd. impr. et plur. codd. — 95) *Hypostaseos* λ; sed falso, nam sensus est: talis commixtio albi et spissi in urina tollit causam apostaseos s. apostematis. — 96) Hunc versum omittunt Edd. impr. et plures codices, habent eum γ, η, ϰ. — 97) 98) *Substantia dispar vultus* Edd. impr.; *subst. vult. disp.* omn. codd. — 101) *Simili regio servit* ζ, λ. — 103) *Subcitrina colore* λ. — 104) *Phlegmaticae craseos periodica frigora monstrat* ζ. — 105) *Choleram designat* α, ϑ; *chol. demonstrat* ζ. — 108) Phlegmaticum temperamentum. — 112) *Vigorem* π. — 114) Apostema fieri in dextro hypochondrio; vid. v. 95.

Indicat, affectu constante, vigore vigente.
Si fluor absentet ventris, nec viscera tentet,
Pallida, spumosa, pinguis, livens, cinerosa,
Paucula fit pestis phthisicae non absona testis,
Si fluor accedit, mors intrat, vita recedit. —
    Crudor et emphraxis, fluxus, consumtio, p a u c a m
Indicat urinam, ratio contraria m u l t a m. —
    Est multis tenuis c i t r i n a referta figuris
Phlegmaticum iuvenem, vel quem niger afficit humor,
Condemnat triteo; duplici senis impedit annos;
Continua puerum; iuvenem, cui fel dominatur,
Portendit sanum proprioque charactere signat.
Talem constituit quartana planetica febris
Autumno potius et sub brumalibus horis.
Thoracis, splenis, hepatis delicta fatetur:
Pectoris offensam, seiunctis obsita granis,
Splenem si multis radiis virgata coruscat,
Siccum monstrat hepar effusio larga liquoris.
In febre continua sub morbi limine talis
Prolixando malum fert detrimenta vigoris,
In medio phrenesim monstrat, sub fine duelli
Designat criticae formari foedera pacis.
(Tempore si longo duraverit aut hepar aut splen
Opprimitur vel febris inest quartana vel errans.)

---

115) *Vigore manente* η, κ; *vigente vigore* γ. Appetitu et viribus adhuc praesentibus. — 116) *Aut viscera* Edd. impr.; sed *nec* omnes codd. habent et sensus suadet; *ventres aut viscera tentet* λ. — 118) *Fit testis phthisicae non assona testis* δ, ε. — 119) Est ultimus versus in cod. λ. Fluor scilicet ventris, diarrhoea. — 120) Cruda materies, obstructio vasorum, fluxus ventris, consumtio. — 122) *Est multum* η. Haec urina iuveni phlegmatico et melancholico tertianam minatur, seni tertianam duplicatam, puero continuam. — 123) *Quem magis afficit* π; *quem niger inficit* α. — 124) *Senis implicat* β, ε. — 125) Juveni cholerico sano propria est haec urina. — 126) *Proprio charactere* Edd. impr. — 127) *Splenetica febris* δ. — 128) *Vel sub brumalibus* α. In autumno et hyeme quartanam erraticam seu irregularem significat. — 131) *Splenis* ϑ. *Corruscant* Edd. impr.; *corruscat* α, ε, ζ, κ. — 132) *Demonstrat hepar cum largo fusa liquore* Edd. impr.; *monstr. hep. effusio larg. liqu.* habent omnes codices; *siccum notat hepar* κ. — 133) *Morbi lumine* Edd. impr., *limine* β, ε, ϑ, κ; *limite* α, γ. — 134) *Detrimenta salutis* α; ϑ. — 135) *Duellum* κ. — 136) *Formari foedera* γ. — 137) 138) Hos versus omittunt Edd. impr. et plures codices; habent vero β, ε, η, ϑ, κ. Codex κ habet v. 138 ita: *Opprimitur febre, vel est quartana vel errans.* Codex α habet v. 137, sed inter v. 130 et 131 et omittit v. 138.

Phlegmatis et cholerae, quem conficit, unio reddit
Citrinam tenuem citri conterminus humor:
Plus tenuem crudus, tenuemque minus resolutus,
Intensam cum febre magis, sine febre remissam. —
In rufum vergens puri color aemulus auri
Aequalis, purus, medius cui se liquor unit,
Corporis eucratici validos denunciat actus.
In puero, iuvene, sene, phlegmatico, muliere,
Rufa manens tenuis notat haec incommoda febris:
Continuam, triteum, duplicem; sed tempore longo
Hepatis offensam, vel febrem quatriduanam. —
Principio causae, dum sunt nova semina morbi,
Rufa, parum tenuis, summam cuius regionem
Nubes rara tenet, motu generata caloris,
De salso typicam succendit phlegmate febrem;
Sed triteum morbo iam procedente figurat.
Spissa parum iam non triteum, magis induciosam
Indicat ex salso vel dulci phlegmate febrem.
Phlegmatis at salsi mordax exuberat humor
Et sine febre furens enormes excitat actus,
Extremas pungens fervoris acumine partes,
Si subrufa parum tenuis non nubila fiat,
Et talem servet constanti tempore formam;
Hydropico talis portenditur exitialis.

---

139) 140) Cholera citrina, quam conficit unio phlegmatis et cholerae rufae, reddit urinam citrinam et tenuem. — 141) Cholera citrina minus digesta tenuiorem urinam sistit, minus tenuem magis digesta; intense coloratam si cum febre est, remissiorem si sine febre. — 143) *Aemulus auro* α. — 144) Hunc versum omittit ε. *Medius*, *purus* γ. *Se color unit* π. Cui se iungit (liquor seu) substantia aequalis, pura et media inter tenuem et spissam. — 145) *Enunciat* α. *Artus* γ. — 146) *Phlegmatica muliere* η. — 147) *Rufa parum tenuis* α. *Monstrat haec* π. — 148) Puero indicat continuam, iuveni tertianam, seni, phlegmatico et mulieri tertianam duplicatam; si sine febre morbum longe praecedit significat vitium hepatis vel febrem quartanam. — 151) *Cuius summam* Edd. impr., *summam cuius* α, β, γ, δ, η, κ, π. — 152) *Mora generata* π. — 153) *Ex salso* α, η; *in salso* ζ. *Succendi* γ, δ. Typica febris i. q. intermittens. — 154) *Morbum iam* α. *Producente* π. — 156) *Dulci vel salso* ε, ϑ; *salso vel duplici* α. — 157) *Aut salsi* ζ; *ac salsi* π. — 158) *Furit enormes* ε, ϑ, κ; *furit et* π. *Febre suos enormes* ζ. — 159) *Pungens extremas* κ. — 160) *Nec nubila* Edd. impr.; *non nubila* α, γ, ζ, κ, π; *non nebula* β, δ, ε, η, ϑ. — 161) *Servat* β, η; *servet constanti tempore longo* α. — 162) *Protenditur* ϑ, κ, π.

Rufa parum pinguis retinens umbracula nubis
Indicat accendi febrem de phlegmate dulci;
Infra si substet color et substantia constet,
Phlegmatis excessus dulcis sine febre notatur.
Rufa parum tenuis vel pinguis, livida constans,
Membra, quibus fiunt spiramina, phlegmate dulci
Vel salso monstrat certa ratione gravari;
In muliere magis portendit probra monetae.
Si color est rufus, pinguis substantia, febrem
Signat continuam de phlegmate vasa tenente;
Debile rheumatica membrum tenente querela
Disponi poterit pinguis rufique coloris,
Si sit causa recens et summum livor obumbret:
Aut minor innuitur, aut pleuresis insinuatur;
Si vetus: ascites magis aut empyma notatur.
Si spumosa magis fiat, cinerisque coloris
Aemula, distincte livens, subrufa remissa:
Ad loca pulmonis morbus lateris peregrinat.
Pinguis, rufa parum, livens, oleagina, crimnis
Obsita fit febris ethicae legata fidelis. —
Clara **r u b e n s** triteum duplicem, vel hepar calefactum,
Quartanumque potest insinuare typum.

---

163) *Nube* π. Parum pinguis i. e. parum spissa. — 165) Infra si substet color, i. e. si ex rufo subrufus fiat. *Infra subsistens* Edd. impr.; *infra si substet* ε, ϑ; *infra subsistat* α, γ, δ, ζ, ϰ; *infra si subsistat* β. *Substantia constat* η; *constant* ϰ; *constet* α, γ, Edd. impr. — 167) Sic omnes codd.; *tenuis et pinguis* α; *tenuis, pinguis et* π. *Rufa parum pinguis, tenuis vel livida constans* Edd. impr. — 170) *Probu monetae* ε, δδ. *Portendum probra* π. Moneta i. q. uterus; probra monetae, vitia uteri. — 171) *Est rubeus* ϰ. — 172) *Monstrat continuum* η. *Tenentem* Edd. impr., sed sensus postulat *tenente*, quod codices habent. — 173 ... 177) Edd. impr. hos quinque versus ita disponunt: 175, 176, 177, 173, 174; Codd. γ, δ, eundem ordinem servant, omissis versibus 173 et 174; Codex η addit tres versus, scilicet post v. 172: *Signat continuam, livor, turbatio, spissa,* post v. 174: *Pronior ad partem fit fluxus debiliorem* (vid. v. 244), post v. 176: *Synochus ascites magis aut empyma notatur.* Nostram lectionem et versuum ordinem habent α, β, ε, ζ, ϑ. — 174) *Pinguis poterit* α, ζ, π. — 176) Minor scil. hemitritaeus minor. — 178) *Magis fuerit* γ. *Colori* δ, π. — 180) *Morbus laterum* γ, δ, ζ; *lateris morbus* β. — 181) *Cannis* π; *crinis* Edd. impr.; *crimnis* seu *crinnis*, quod etiam Codici ϑ adscriptum est, pro Crimnoidibus contentorum specie, vide v. 285, 286. — 182) *Sit febris ethicae ligata* Edd. impr.; *fit febr. eth. legata* β, ε, ζ, π. Ethica febris i. q. hectica. — 183) Triteum duplicem i. e. tertianam duplicatam. — 184) *Quartanaeque* δ, ϑ. *Insinuare malum* ζ.

Haec mora vel brevitas, nubes, tempus, status, aetas,
Haec probat infirmi passio, forma, locus:
Ut pede procedat stabili sententia, sunt haec
Omnia iudicio discutienda tuo. —
Turbida spissa parum rubeo perfusa colore
Continui tritei notio certa datur;
Si summum viror obtineat vel livida nubes,
Portendit medium pleureticumve malum;
Spissa rubens synochum, si summum livor obumbret,
Spissa rubens synocham demto livore figurat;
Causonidem si plus tenuis, quam spissa; re versa
Synochidem; causon subtilis et ignea monstrat,
Certior est testis rubicundi forma coloris. —
Si color est inopos, fert detrimenta salutis
In febre continua; minus est sine febre verenda,
Nam renes vel hepar succendit causticus humor
Aut est rupta chilis aut fracto vase resudans
Menstruus elicitur muliebri corpore sanguis.
Talem disponit in sano corpore saltus,
Aut nimius coitus, cursus, labor immoderatus. —
Non est degenerans kyanos a lege prioris. —

---

185) *Tempus, nubes* ε, ϑ. Quinam ex his morbis adsit, docet duratio morbi, nubecula urinae, tempus anni, complexio et aetas aegroti, typus morbi, constitutio aegroti, locus ubi habitat. — 186) *Hoc probat* γ, δ. *Forma locusque* κ. — 187) Sic omnes codices. *Ut stabili pede vadat sententia* Edd. impr. — 189) *Perfusa liquore* Edd. impr.; *colore* omnes codices. — 190) *Noctio* ε, ββ. Post versum 190 addit α: *Continuam signat livor, turbatio, spissa,* quem versum ε et ϑ jam inter vv. 182 et 183 inserunt. — 191) *Teneat viror vel* ε, ϑ; *livor obtineat vel* γ. *Nubis* Edd. impr.; *nubes* codd. Viror i. e. viridis color. — 192) *Portendunt* η; *portendum* π. *Monstrat hemitriteum* ϑ. *Pleureticumque* Edd. impr.; *pleureticumve* α, β, γ, π. Medium i. e. hemitritaeum medium. — 193) 194) Hi duo versus in codd. β, ε, η, κ, ita transponuntur, ut 194 primus sit. 193) — *Spissa livens synochum* π. Synochus fit ex sanguine peccante secundum qualitatem, synocha fit ex sanguine peccante secundum quantitatem, sicut docet versiculus: Synocha de multo, sed synochus ex putrefacto. — 196) *Synochides* π. — 197) Certior testis scil. causonis. — 198) *Inops fert detrimenta caloris* π. Inopos, oenopos, οινοπος, color ex nigro purpureus, sicut uvae rubrae maturescentes, seu sicut vinum nigrum. — 199) *Verendum* π. — 201) *Aut rupto vase resudant* π. Chilis seu vena chilis est vena portae. — 202) *Mulieris* Edd. impr.; *muliebri* codices omnes. — 205) *Nec* Edd. impr.; *non* omn. codd. *De lege* η. *Priorum* ζ. Kyanos color magis in purpureum tendit, quam inopos.

Agriacam, spasmum, maiorem, denique mortem
Indicat urina p r a s i n o tincta colore.

DE CONTENTIS URINAE.

Saepius artificem deludit forma coloris
Et fraudat plerumque fidem censura liquoris;
Est in contentis rata lex, discretio certa,
Judicii constans regula, vera fides.
Cetera postponens naturae conscius auctor
Hinc Hippocras veri semina firma trahit.
Nunc contentorum seriatim forma notetur
Et proprios teneant significata modos:
Circulus, ampulla, granum, nubecula, spuma,
Pus, pinguedo, chymus, sanguis, arena, pilus,
Furfura, crimnoides, squamae, partes atomosae,
Sperma, cinis, sedimen, spiritus alta petens. —
Spissus in urina si c i r c u l u s est et aquosus
Cellula posterior phlegmate pressa dolet.
Purpureus spissus affligit sanguine proram,
Laevam felle nigro pallidus et tenuis.
Dextra parte furit cholerae ferventis acumen,
Si tenuis fuerit circulus atque rubens.
Insinuat sensus radicem mortificari
Plumbeus et ramis hinc nocumenta dari.
De livente prius si post rubeus videatur,
Exsurgit cerebri natura, vigor reparatur.

---

206) Agriaca i. q. icterus ex felle viridi s. aeruginoso. Maior, i. e. hemitritaeus maior. — 207) *Praxino γ. Tincta virore α.* Versus 206 et 207 leguntur in editione ββ inter versus 197 et 198 in omnibus vero codicibus inter 205 et 208. Prasinus color i. q. viridis. — 209) *Defraudat η. Mensura liquorum π.* — 211) *Certa fides α, η, κ.* — 212) *Conscius actor* Edd. impr., *auctor ε, ζ, η, κ.* — 215) *Ut proprios teneant* Edd. impr.; *et proprios teneant β, ε, ζ, η, π; et proprios teneat α; et teneant proprios ϑ. Singula quaeque modos κ.* — 216 . . . 219) Enumeratio contentorum. — 217) *Pilus, sanguis, arena, chimus ε, η, ϑ.* — 218) *Crinoydes, Crimoydes, Crinoides etc.* — 221) *Phlegmate posterior cellula ε.* Cellula posterior cerebri, i. e. pars eius occipitalis, ubi dominatur phlegma. — 222) Prora, i. e. sinciput, ubi dominatur sanguis. — 223) Laeva, i. e. sinistra pars capitis, ubi dominatur bilis atra. — 224) *Dextram partem ferit ϑ.* Dextra scilicet pars capitis in qua dominatur bilis. — 225) *Si fuerit rubeus circulus aut tenuis η.* — 226) 227) Circulus plumbeus significat epilepsiam, in qua radix sensus i. e. cerebrum mortificatur et per ramos i. e. nervos malum distribuitur; vid. v. 71.

Si formam causon in febre viroris adoptet,
Felleus ad motum phrenesis succenditur humor.
Si tremulus fuerit, spinalia membra gravantur,
Si niger extiterit, vel mortificat, vel adurit,
Praeveniens viror aut livor distinguit utrumque. —
Non residens **ampulla** tumens, ventosa, cohaerens
Morbi crudificat causam morbumque prolongat,
Et nephresim generat cerebrumque dolore molestat,
(Rugitum vomitumque notat ventremque solutum.) —
Granula rheumaticae semper sunt nuncia causae:
In circi serie si granula fixa tenentur,
In cerebro secreta latet confusio morbi;
Si substant depressa parum, nec mota regressum
Accelerant, capiti loca proxima percutit humor;
Pronior ad partem fit fluxus debiliorem. —
Corporis aërei **nubecula** spiritualis
Indicat offensae vitium iecorisque calorem. —
Est ventosa vel incensi fit **spuma** caloris
Nuncia particulis continuata suis,
Hoc color urinae probat et substantia spumae:
Spiritus ingrossat, attenuatque calor.
Intercisa manens, granis distincta minutis,
Imbecilla gravi rheumate membra ferit;

---

230) *Vigoris* ε. *Adaptat* α; *adaptet* γ. In febre acuta timenda phrenesis ex bile abundante et ad cerebrum rapta. — 232) *Spasmalia membra* γ. Spinalia membra i. e. spina dorsi. — 233) *Et adurit* Edd. impr.; *vel adurit* omn. codd. Vel mortificationem, vel adustionem indicat. — 234) *Virus aut livor* Edd. impr.; *viror* omn. codd.; vid. v. 22. — 235) *Ventosa cohaerens* β, γ, ε, ζ, η, ϑ, κ, π; *viscosa* Edd. impr. et α. — 236) *Causam crudificat morbi, morbumque propagat* ε, ϑ. *Morbi cr. c. m. propagat* α. β, γ, ζ, η, κ, π. Codex δ habet utramque lectionem: *propagat* et *prolongat*. *Prolongat* Edd. impr. — 238) *Rugitum ventris, vomitum, ventremque solutum* α; *Rugitum, vomitum signat ventrisque dolorem* δ; *Rugitum ventris vomitumque* ε, ϑ. Deest v. 238 in codice β, γ, η, π, et ante versum 237 ponitur in codice δ, ε, ϑ, κ. — 239) *Sunt semper* π. — 240) *Circuli serie* γ, δ, η, ϑ, κ. *Crici specie* π. *Granula vincta* γ, δ. — 242) *Si substent* Edd. impr. et plures codices; *substant* η; *substet secreta* γ. — 243) *Accelerent* Edd. impr. et plur. codd.; *accelerant* η; *accelerint* δ. *Capitis loca* ε, ϑ. — 244) *Promtior ad* ε. (cfr. v. 174). — 245) *Corporis aërii* ε, π. Corpus aëreum i. e. superficies urinae. — 246) *Indicat offensam* ζ. *Indicat arteriae vicium iecorisque dolorem* π. — 247) *Est ventosa vel est* γ. — 249) *Hoc probat urinae color et* ε, ϑ. — 250) *Ingrossat continuat color* π. — 251) Spuma interrupta, non continua, sed granis distincta idem est, quod granula. — 252) *Membra premit* α, ε, ϑ.

Indicat ictericum vel hepar portendit aduri
Si nigra vel viridis vel quasi tincta croco. —
Ulcera vesicae sanies effusa fatetur,
Aut renum scabiem, si gravis assit odor.
Ex hepatis regione fluit sedimen saniosum:
Hoc dolor et partis actio laesa docet. —
Praetendens olei formam resolutio pinguis
Cum febre dissolvit totum, lumbos sine febre. —
Humor in urina fit summus, pendulus, imus:
Membraque suprema laedit mediana vel ima;
Stranguriam, nephresim residens facit atque tenasmon,
Nutritiva gravat medius, diaphragma supremus. —
Ex vitio iecoris trahitur minctura cruoris
Vesicae, renum, venae chilis, haec tibi plenum
Provida signorum doctrina facit reliquorum:
Fundit trumbosum vesica gravem maculosum
Et subsistentem, modicum foetoris habentem;
Minctio fit pura chilis ex venae crepatura,
Et dolet a fine graviter pars septima spinae;
Si fluit a lumbis purus manat et sine trumbis,
Renum testatur hoc punctio, quae comitatur;
Dextra dolor cruciat si fluxus ab hepate fiat
Et sanguis purus manat fomenta daturus. —
Renum vesicae lapidem testantur arenae:
Renum si rubeae, vesicae si magis albae,

---

253) *Portendit adustum* α (cfr. v. 206). — 256) *Gravis adsit* Edd. impr.; *assit* γ, ζ, ϑ, ϰ. — 258) *Haec dolor* π. *Laesa probat* η. Post versum 258 addit codex δ quatuor versus, qui nullibi reperiuntur et certe non sunt Aegidii. — 259) *Praecedens* Edd. impr.; *portendens* α, δ; *protendens* ϰ; *protendit* η; *praetendens* γ, ε, π. — 261) *Urina si summus* habent omnes fere codices, sed *fit*, quod Edd. impr. habent et Codex π, sensui melius congruere videtur. — 263) *Tenasmum* δδ. — 266) *Vesicae renum, venae kilis hoc tibi planum* α, β; *vesicae aut renum* habent Edd. impr.; *vesicae ac renum* π; *renum, vesicae, venae kilis, hoc tibi planum* γ, δ. — 268) *Fundit turbosum* π. — 269) *Et subsidentem* α, γ, η, π. — 270) *Venae chilis ex crepatura* Edd. impr.; *chil. ex ven. crep.* α, β, δ, ε, ζ, ϑ. — 271) *Gravitas vis ultima spinae* ζ. — 272) *Fluat* Edd. impr.; *fluit* δ, ε, ζ, ϑ, ϰ, π. *Manet* α, γ, ζ, η, ϰ, π; *manat* Edd. impr. et plures codices. — 273) Sic α, ζ, η, ϰ; *testatur id punctioque comitatur* ββ; *punctio quam* γγ; *concomitatur* δδ. — 274) *Dextram* Edd. impr.; *dextra* α, β, γ, ζ, ϰ; *dextra dolet parte si* η. — 275) *Manat purus* ε. Scilicet sanguis purus, qui dare potuisset nutrimenta corpori. — 276) *Lapides* δ. — 277) *Si rubeae renum* η.

Aemula contenti fit forma suo retinenti. —
Forma p i l o similis vel erit decisio carnis,
Aut pars humoris lima siccata caloris,
Inde probes renum vel totius nocumentum. —
Per s q u a m a s tenues et f u r f u r a mincta notatur
Vesicae scabies, aut si febris comitatur
Totius fluit integritas, corpus tenuatur. —
Certa fides per c r i m n o i d e s, quod tertia febris
Est ethicae species imis inserta latebris. —
Innuitur gutta regnare per a l b a m i n u t a;
Si mulier fuerit, non alterutrum tibi deerit,
Quin vel conceptus assit vel languor ineptus.
Matrix sicca, venus sopita, retentio fluxus,
Discolor affectus, vomitus, compressio virgae,
Mammae grossities et perturbatio ventris
Ex mellicrato, conceptus signa probantur.
Conceptum maris insinuat splendor faciei,
Membrorum laevitas, spissi concretio lactis
Atque tumor ventris in dextra parte rotundus,
Foemineum sexum contraria signa figurant. —
S p e r m a t i c i s inscripta notis urina fatetur
Illecebras coitus, genitalia membra gravari
Fermento veneris, ludibria vana soporis
Sive gonorrhoeam vel membri vim resolutam.

---

278) *Forma fit* (*sit*) *suo continenti* Edd. impr.; *fit forma suo retinenti* habent omnes codices. — 282) *Furfurea* γγ, δδ. *Aut furfura* γ, ϑ. — 283) Sic α, β, γ, δ, η, κ, π; *scabies aut si febris concomitatur* Edd. impr.; *scabies si febris concomitatur* ε, ϑ. — 285) Tertia species febris ethicae seu hecticae. — 288) *Alterutrum* habent omnes codices, *alterum* Edd. impr. — 289) *Quin et* Edd. impr.; *vel* codices. *Assit* γ, ε, ζ, ϑ, κ; *adsit* Edd. impr. — 290) Signa conceptus: post coitum vulva sicca, appetentia venerea extincta, amenorrhoea, appetitus perversus, vomitus, sensus pressionis in glande penis durante coitu, intumescentia mammarum, tormina ventris ex mellicrato secundum Hippocratis aphor. V. 40. — 291) *Discolor et fractus* π. — 292) *Grossities vel* η. — 293) *Ex mellitracto* π. — 294) Signa concepti maris: facies splendens, torositas et habitus vegetus, lac spissum, tumor ventris in dextro latere. — 295) *Concussio lactis* δ; *contractio lactis* η. — 296) Post hunc versum addunt ε, ϑ: *Continuus rubor urinae, suffultio dextrae, Nigraque in dextras semper vergentia partes,* et η, κ: *Continuus rub. ur. suff. dextrae, Et genu dextrum manibus surgendo prematur*, qui versus Aegidii esse non videntur. — 297) *Foemineum foetum* Edd. impr.; *sexum* α, β, η, κ, ϑ. — 298) *Spermaticis urina notis inscripta* γ. — 299) *Illecebres* Edd. impr.; *illecebras* α, β, η. — 301) *Gomoream* Edd. impr. et plures codices.

Sub forma **cineris** corpuscula pressa deorsum
Infima membra notant morbi languore gravari,
Ex attricis haemorrhoidis splenisque tumore
Saepius apparent, vel quando menstruus humor
Temporibus certis sua respiracula nescit.
Informat **sedimen** color et substantia, tempus,
Forma, locus: Color est albus; substantia gumphis
Continuata suis; conum sua forma figurat;
Inferior fundus locus est; constantia tempus:
Album, continuum, residens, constans, pineatum
Si sedimen fiat, bona fit digestio, virtus
Fortis, naturae triplici viget actio motu:
Albificat, mundat, cumulat, condensat et unit,
Ventosum calor extenuat, sorbetque vaporem,
Virtus, quae bona sunt, retinet, quae prava repellit,
Nec natura suos secat aut interpolat actus:
His claret signis ostensio certa salutis,
Eucrita fit febris, brevis est discussio morbi. —
Laedit et incrudat sedimen quicunque priorum
Dissonus et varius faciens discrimina motus:
Servatis reliquis si pendeat aut petat altum
Flamine ventoso, digestio laesa probatur;
Salvo iure loci servata lege coloris
Vis ventosa movet sedimen compage soluta.
Subrubeum quoniam de sanguine constat aquoso
Est peius rubeo, quamvis vicinius albo;
Designat rubeum, quod longa sit eucrita febris,

---

303) *Infirma membra* α. — 304) Atrici, atrices seu attrices sunt fici vel condylomata ani. — 307) *Informant* δ, κ, π. — 308) Gumphi i. q. particulae coniungentes, conglutinantes, v. Puls. v. 304. — 310) *Locus et constantia* ε, ϑ. — 312) *Sedimen fuerit* η, κ. *Decoctio*, *virtus* α; *digressio* π. — 313) *Triplicis viget actio motus* ζ. Triplex est motus in nutritionis actione: motus alterativus, qui albificat et mundat, motus localis qui partibus nutriendis affert nutrimenta, et motus essentialis, qui condensat nutrimenta et coniungit cum partibus nutriendis. — 314) *Adunit* η. — 315) *Attenuat* α, ζ. *Calorem* π. — 316) *Retinet at prava* γ. — 317) *Interpollat* γγ, ϑ. — 319) *Eucreta* Edd. impr.; *eucrata* κ. *Dyscrasia morbi* α, γ; *destructio* κ. — 320) *Quodcunque* Edd. impr.; *quicunque* α, β, ε, ϑ, κ, π. — 321) *Discolus* ζ. *Varios* κ. — 322) *Salvatis* ζ. *Reliquis medium petat aut natet alte* π. Si sedimen locum suum mutat et vel enaeorema fit, vel nubecula. — 326) *Subrubeum sedimen* η. — 327) *Vicinius illo* α. — 328) Cod. γ omittit v. 328, 329, 330. Desinit in versu 328 cod. ζ.

Cum sit causa mali naturae filius humor
Levis et excoctus resolubilis et moderatus. —
Naturae funestat opus culmenque vigoris
Altius evertit sedimen nigrae speciei;
Quod summum tenet aut medium minus est vitiosum,
Hoc tamen offendit in pluribus, illud in uno:
Plus numero peccat nephelis nigra, non ideo plus,
Plus peccat sedimen nigrum, sed non numero plus,
Defectum numeri causae violentia pensat,
Aggravat et cumulat mala circumstantia culpam. —

EPILOGUS.

Nunc mea completo respira, Musa, labore,
Stringe rotam, cursum cohibe, compesce fluenta,
Claude Musandini torrentes fluminis undas;
Non ultra aequivoci gazas praelata Salerni
Sparge, nec Ursonis apices, nec dogmata Mauri;
Sobria claude larem, metuens livoris ocellum,
Ne tecum moveat contraria secta duellum.
Dyscolus et mordax, vehemens, clamosus, inanis,
Quem sterili lolio pascit, farragine cruda
Inflat et infatuat Mons Pessulanicus errans,
Ne probris frontem laceret, formaeque nitorem
Obfuscet maculis, vereor, clam basia figat;
Lenoni populo faciem nec casta reveles,
Fimbria monstretur, quam non est tangere dignus. —

---

329) Naturae filius humor. i. e. sanguis. — 330) *Ac moderatus* Edd. impr.; *et moderatus* omn. codd. — 331) *Festinat opus* α. *Fulmenque* γ. — 332) *Acrius* π. Nigrum sedimen magis vitiosum est, quam nubecula nigra et enaeorema nigrum, quamvis haec loco simul et colore peccent, sedimen nigrum colore solo. — 333) *Minus vitiosum* ϑ. — 334) *Offenditur* ββ. *Istud in uno* α, ε, ϑ. — 335) *Nephilis* Edd. impr.; *nephile* δ. — 336) *Nigrum sedimen* δ. — 338) *Morbum* Edd. impr.: *culpam* omnes codices. In hoc versu desinit α, ε, η, ϑ. Codex π post v. 338 addit sex versus neque hic pertinentes, neque Aegidio dignos. — 339) *Respires* π. Desinit in hoc versu cod. δ. — 341) *Molendini* β. *Torrentis* β; *terrentis* π. Desinit cod. β. in hoc versu. — 342) *Gazam praelarga sulini* π. Aequivocus Salernus, quia magister Salernus nomen urbis gerit. — 344) Invidiae oculum parvum seu semiclausum. — 345) *Ne coecum* π; *nec tecum* δδ. Contraria secta i. e. schola Monspeliensis. — 348) *Error* π. — 349) *Probis* ββ, γγ; *probris* δδ, π. *Fontem* Edd. impr.; *frontem* π. — 350) *Clara basia* Edd. impr.; *clam* π. — 351) *Ne casta* π. *Revelet* γγ, δδ; *reveles* ββ, π.

Explicit Aegidii carmen de urinis.

MAGISTRI

AEGIDII CORBOLIENSIS

LIBER

DE PULSIBUS

METRICE COMPOSITUS.

PROOEMIUM.

Quatuor sunt membra principalia, quibus humani corporis machina firmis basibus et fundamentis roborata consistit, scilicet cerebrum, cor, hepar et testiculi. Dicuntur autem principalia, non quod ad cuiuslibet eorum interemtionem sequatur interemtio et destructio animalis. Ablatis enim testiculis ab humano corpore, quamvis deformetur corpus et in femineam degeneret naturam, non tamen ideo interimitur, nec statim substantiae denegatur. Sed ideo principalia dicuntur, quia toti corpori dominantur et principantur secundum dispositionem et secundum moderationem virtutum. Secundum dispositionem principantur, quia, si in unum concurrant crases principiorum perfectae, secundum eas totum corpus disponatur. Secundum virtutum moderationem, quia in cerebro principatur virtus motiva et sensibilis, et principaliter in corde fundatur virtus vegetativa et spiritualis, in hepate principatur seu dominatur virtus augmentativa et nutribilis, in testiculis luxuriatur et iocundatur propagativa et generabilis. Harum quatuor virtutum communior et utilior et latius patens ceteris est nutribilis et natura prior. Nam ante animae infusionem suos motus in corpore experitur, cum enim corpus humanum sit fluxibile et tributarium dissolu-

Deest prooemium in π, ϙ, ψ. — 1) *Quoniam sunt quatuor membra* ϱ. — 2) *Armis basibus et sustentamentis roborata subsistit* ϱ. — 4) *Ad cuiusl. . . . . sequatur interemtio* σ.; *ad cuiusque horum interruptionem sequatur interruptio* αα; *interemptionem . . . . interemptio* ββ, γγ, δδ. — 5) *Sublatis enim* ϱ, σ. — 7) *Tamen* omitt. Edd. impr.; habet ϱ, σ. *Ideo genus interimitur* ϱ. *Derogatur* ϱ, σ; forsan *substantia denegatur*, vel *substare denegatur*. — 8) *Corpori principantur* σ. — 10) *Virtutum moderationem* ϱ, σ. — 12) *Disponetur* Edd. impr.; *disponatur* ϱ. — 13) *Quia* omitt. ϱ. *In cerebro namque principatur* ϱ, σ. — 15) *In hepate dominatur* σ. *Principatur sive dominatur* δδ. — 15) *Augmentativa seu nutribilis* τ. — 17) *Virtutum virtus nutribilis communior et utilior et latius patens est ceteris et natura prior* σ. — 19) *Jam ante* ϱ.

tionis, necessario deficeret, nisi virtus nutribilis deperdita restauraret; et toto tempore unionis animae et corporis operatur et universam corporis existentiam comitatur. Unde iugis et inseparabilis comes et socia naturae et magis intrinseca et fidelis est. Unde cum virtus nutribilis non possit operari sine fundamento, cui innitatur et hepar sit eius principale subiectum vel fundamentum, convenit hepar prius esse formatum ceteris membris. Et corporis aedificium ab hepate tanquam a fundamento primario consurgit, ideo hepar prima radix corporis iudicatur. Virtus vegetabilis etsi sit dignior, quia corpus ad altiorem locum vel gradum provehit et ipsum vegetabili splendore illustrat, tamen natura posterior est, nec est corpori coaequalis. Etsi enim operetur ante infusionem animae, exiliter tamen et semiplene actionem suam exsequitur. Ante infusionem animae vivit corpus non anima nec animatione, sed vegetatione, sicut arbores spiritu viriditatis vegetantur, toto vero tempore unicationis animae et corporis spiritualis virtus advegetatur, vel negotiatur super membrum, in quo fundata est, et virtus illa dignitate et eminentia est in corde, sed natura et tempore formationis posterius. Virtus motiva et sensibilis excellentior est praecedentibus praelatione dignitatis. Soli enim militat animae, item ab anima procedit, sed est tempore et natura posterior. Nam ante animae infusionem virtus haec est impedita, nec valet operari, propterea enim ex infusione animae contrahitur. Sicut autem virtus sensibilis posterior est et temporis ratione et naturae conditione, sic et membrum, quod est huius virtutis fundamentum postea est formatum. Quarta virtus, quae propagativa est et generabilis, ceteris virtutibus indignior est, natura et tempore posterior; indignior, quia non

---

22) *Mixtionis animae* ϱ. *Animae ad corpus* αα; *animae et corporis* ϱ, σ, τ. — 24) *Assecla naturae* ϱ; *associa naturae* σ. — 25) *Est* omitt. ϱ, σ, τ. — 26) *Innititur* Edd. impr.; *innitatur* ϱ, σ. — 27) *Vel fundamentum* omitt. ϱ, σ. *Contingit hepar* σ. — 28) *Tanquam a primario fundamento consurgere, ideoque hepar* σ. — 30) *Virtus namque vegetabilis* σ. — 31) *Locum vel* omitt. σ, τ. *Et ipsum ut credo animae vegetabilis splendore* σ. — 33) *Etsi illud* Edd. impr.; *etsi enim* σ. — 34) *Tamen semiplene suam actionem* σ. *Infusionem siquidem animae* ϱ, σ. — 37) *Mutationis* Edd. impr.; *unicationis* σ. *Corporis virtus spirabilis ad vitam negotiatur super* σ. — 39) *Haec virtus* σ. — 42) *Et tamen ab anima procedit* σ. — 43) *Infusionem animae virtus haec impedita est* τ; *infus. anim. haec virtus compedita est* σ. — 47) *Sustentamentum* σ. *Posterius est formatum* σ. — 49) *Et tempore et natura* σ. *Indignior est* ϱ.

est substantialis corpori, nec adeo necessaria, nec ad naturae spectat essentiam sicut ceterae virtutes, sine quibus et earum effectibus non potest continuari essentia, et potest dici prior ex natura humanae complexionis et compositionis, posterior tempore et natura; quia talis virtus ad agendum non movetur in corpore ante infusionem animae, nec post infusionem ipsius, nisi in tempore pubertatis ossibus medulla repletis, augmentatis humoribus, confortato calore naturali, ampliatis meatibus, causis coitus aetatis fervore concurrentibus. Tunc quidem haec virtus excellenter et egregie ad suae operationis ministerium ex causarum humilitate provocatur. Eius autem operatio non est effrenis sicut aliarum virtutum. Cum enim effrenato cursu haec virtus aliquanto tempore suam continuat actionem, enervatur corpus et tabescit et in defectum declinat (corpus). Unde certum est, quod huius virtutis operatio non est ita substantialis naturae et necessaria, cum ex sua continua actione corporis pariat defectum. Animale corpus iugiter et indesinenter exspirat, inspirat et respirat anima vegetabili illustratum; continue membra digerunt, appetunt, retinent, et, ut ab aliquibus superfluis corpus mundent, continue moventur. Sunt itaque harum virtutum effectus magis effrenes, magis violenti et magis necessarii, quam effectus virtutis generabilis, cuius operatio in multis suspenditur, in quibus ad petram continentiae parvuli alliduntur. In aliis vero propter frigidam testiculorum crasim talis actio impeditur, quia causis ad coitum concurrentibus privantur.

---

51) *Et earum aetatibus* Edd. impr; *effectibus* ϱ, σ. — 52) *Dici a natura* σ. *Dici existentia prior* τ. — 53) *Tempore et natura posterior* σ. — 54) *Ad digerendum* Edd. impr.; *ad agendum* ϱ, σ. — 55) *Nec post eius infusionem nisi* σ. — 57) *Naturali calore* σ, τ. *Causa* Edd. impr. — 58) *Tunc quidem excellenter et egregie haec etiam virtus* τ. — 59) *Operationis ministrationem vel ministerium* Edd. impr.; *ministrat. vel* omitt. codd. — 60) *Humiditate* αα, ββ; *humilitate* σ. *Eius autem operatio non est effrenis* ϱ, σ, τ; (*eius tamen* τ.) *haec autem operatio est effrenis* Edd. impr. Effrenis i. q. involuntaria. — 62) *In aliquantulo tempore* σ. — 63) *Corpus et vilescit* ϱ. ultimum *Corpus* omitt. ϱ. — 64) *Quod haec virtutis operatio* Edd. impr.; *huius* ϱ, σ, τ. *Ita naturae substantialis* σ. — 65) *Continuatione* σ. — 66) *Defectum et animale* Edd. impr.; *et* omitt. ϱ, σ, τ. *Exspirat* omitt. σ. — 67) *Respirat et anima* Edd. impr. *Aura vegetabili* σ. *Illustrata* σ. *Continuo* τ. — 69) *Mundent perpetuo moventur* σ; *perpetue* τ; *mundent corpus perpetuo moventur* ϱ. — 70) *Huius virtutis hi effectus magis effrenes et magis violenti et nequaquam virtutis generalis effectus, cuius* Edd. impr.; nostram lectionem habet σ. — 72) *Alluduntur* σ. — 73) *Testiculorum complexionem* σ. — 74) *Quia ex causis* Edd. impr.; ex omitt. ϱ, σ, τ.

Inde est, quod haec virtus naturae non convenit, nisi propter propagationem, ut rerum genera per multiplicationem particularium, ne intereant, conserventur. Homo enim non continue durat, oportet ergo ut permaneat successive; virtuti propagativae suum membrum simile et conforme, principalibus ceteris indignius et posterius tempore, sibi formam et speciem vendiçavit.

Cum itaque cor et hepar tanto principalitatis praeiudicio praeferantur, ideo secundum crases istorum membrorum, teste Galeno in techni, totum corpus disponitur, et non a cerebro, non a testiculis asserit Galenus totum corpus suam trahere dispositionem, sed cordi tantum et hepati hoc debetur. Inde est, quod veterum philosophorum studiosa intentio ad horum membrorum naturas et habitudines investigandas maxime laboraverit, sed non potuerunt melius perpendi et expressius investigari, quam iudicio pulsuum et discretione urinarum. Urina enim fideli testimonio dispositionem hepatis et membrorum sibi communicantium dilucidat; pulsus vero cordis habitudinem, vitae tenorem, spirituum assistentiam declarat. De doctrina urinarum varii et multiplices tractatus reperiuntur, propter quorum confusionem libellum novae editionis componentes sub volumine brevitatis construximus, ut scholarium nostrorum eruditioni consuleremus et communi utilitati inserviremus, qui liber incorrectus et incastigatus a nobis est elapsus. Subito enim in lucem prodiit, et non exspectans tempus editionis legitimum, factus est abortivus, ut non de facili posset revocari,

---

75) *Congruit, nisi* σ. — 77) *Ne pereant* σ. *Conservantur* Edd. impr.; *conserventur* τ. *Homo enim cum non duret continuatione, oportet quod permaneat successive* σ, τ. — 78) *Successive et a propagatione suum* σ. — 80) *Speciem vendicante* σ. — 82) *Tantò principis praeiudicio* Edd. impr.; *principalitatis* ϱ, σ, τ. — 83) *Crases horum membrorum* ϱ, σ. *Testante Galeno* σ. — 84) *Corpus disponetur* Edd. impr.; *corpus disponitur, non* σ. — 85) *Asserit totum* ϱ. *Galienus* αα; *Gallienus* ββ. — 86) *Cordi et hepati tantum hoc* ϱ, σ. — 87) *Philosophorum intentio* τ. — 88) *Investigandas fuit maxime laborari* Edd. impr.; *invest. max. laboravit* ϱ; *laboraverit* σ. — 90) *Urina namque* σ; *urina enim* ϱ. *Videtur enim fideli* Edd. impr. — 92) *Collimitantium* σ. *Dilucida*(*re*) Edd. impr. — 93) *Spirituum consistentiam* σ. — 94) *Varii tractatus* ϱ. *Tractatus inveniuntur* σ. — 97) *Eruditionem* Edd. impr. — 98) *Qui incorrectus* ϱ. — 99) Sensus esse videtur hic: Liber de urinis ante tempus opportunum in lucem prodiit, sicut abortus, sed revocari non facile potuit, cum iam in plurium hominum manus venerit, iniurias ab aliis scriptoribus passus sit et dedignetur abscondi etc. — 100) *Nec iam de facili* ϱ, σ, τ.

cum iam in manus plurium venerit scriptura mala attritus et dedignatus abscondi; est in labiis singulorum, qui, quamvis eum palam livoris morsibus obtrectent, ex eo tamen suam locupletant paupertatem et penuriam et sui intellectus reficiunt ariditatem. De doctrina pulsuum pauci aut nulli perfectam vel non diminutam dederunt scientiam. Galenus vero ex multa prolixitate voluminum et librorum varietate et verborum prolixitate confusionem induxit et veritatem turbavit; omnis enim confusio noverca est veritatis. Constantinus in pantechni de doctrina pulsuum intendens multas varietates et differentias proponit, quae per sui multiplicitatem vix possunt comprehendi loquelis rationis humanae. Philaretus autem sub tanto brevitatis volumine praedictorum confusionem studuit coarctare, qui Charybdim confusionis volens effugere, lapsus est in Scyllam obscurae brevitatis, quae obscuritas est inimica doctrinae, unde liber Philareti iudicio meo a consortio horum librorum et artis dignus est profanari. Verumtamen nos meliorem eligentes semitam, brevitatem et confusionem abhorrentes de pulsuum differentiis componentes libellum ex utraque contemperamentum fecimus, ut mediocritate servata scholarium nostrorum, qui doctrinae nostrae edulio cibantur, intelligentiae serviamus. Scribimus autem secundum artificium metricae positionis sive rationis, ut verba nexibus pedum ligata sub sigillo memoriae fidelius claudantur et certior doctrina operetur. Ab huius ope-

---

101) *Cum enim iam* σ. *Scriptura triviali* ϱ, σ. — 102) *Dedignatur abscondi* ϱ, τ; *dedignata abscondi cum Montipedensibus meretricia et est in labiis* σ. — 103) *Livoris obtrectent morsibus, ex* σ. — 104) *Et penuriam sui intellectus reficiunt* ϱ. — 105) *Doctrinam puls. pauci aut nulli dederunt perfectam vel non diminutam dederunt scientiam* Edd. impr.; *De doctrina p. a. n. perf. v. n. dim. ded. scient.* ϱ, σ, τ. Post *scientiam* addit σ. *vel editionem constituerunt.* — 106) *Galenus namque multa* ϱ; *namque ex multa* σ. — 107) *Et multa librorum var.* σ. — 108) *Omnis autem confusio est noverca eruditionis* σ. — 109) Loco *Constantinus* Edd. impr. legunt *Eustachius*, quod falsum, cum Constantini Africani pantechne ab aliis citetur, Eustachii vero liber eiusmodi notus non sit; legendum igitur cum codicibus ϱ, σ, τ: *Constantinus.* — 111) *Multiplicitatem vix laqueis rationis humanae possunt comprehendi* σ. — 112) *Sub tanta voluminis brevitate* τ; *sub tanto brevitatis involutus* ϱ, σ. — 114) *Voluit effugere* τ. *Lapsus est* omittunt Edd. impr.; habent ϱ, τ. — 115) *Quae obscuritas praecipue est* ϱ, τ; *praecipue existit* σ. — 116) *A catalogo horum* σ. — 117) *Nos mediam eligentes* ϱ, σ. — 119) *Ex utroque cont. facimus* Edd. impr.; *ex utraque c. fecimus* ϱ, σ, τ. — 122) *Metricae rationis vel positionis* σ.

ris vestibulo planeticos et falsos discursores monachos, qui norma religionis abutentes pelle monachali remota de huius artis mysterio praesumunt, profanamus. Talibus enim huius operis secreta nolumus propalari, nec margaritae spargendae sunt porcis, nec philosophiae mysteria divulganda sunt imperitis. Omnes ergo tales sic submovemus, ut quae capere intellectu nequeunt, ad ea legenda videantur indigni.

Quae vero in aliquorum librorum principiis investigari solent, in huius operis etiam principio investiganda occurrunt; scilicet, quae sit auctoris intentio, quae causa intentionis, quae utilitas, ad quam partem philosophiae spectet, qui modus agendi, quae libri divisio, qui libri ordo tractandi, qui titulus. Intentio auctoris est in hoc opere doctrinam tradere de pulsibus, compendiose ostendendo immutationem pulsuum et causas immutationum et genera et differentias. Causa intentionis est communis omnium scilicet utilitas et latinitatis indigentia de doctrina pulsuum. Utilitas est praesentium humani corporis dispositionum cognitio et futurarum praecognitio et praeteritarum rememoratio et hoc tam in sanis, quam in aegris et in neutris. Liber iste pro maiori parte pertinet ad philosophiam et mediante philosophia ad naturalem scientiam, scilicet ad physi-

---

125) *Planeticos et decursores falsos monachos .... praesumunt prophetari* ϱ; *falsos decursores farmacapulas, et pyxidum gestatores et illos monachos, qui normam religionis abiurantes pelle m. r. d. h. a. mysterio praesumunt profanavimus* σ; *falsos discurrentes ... praesumunt profanari*, τ, cum adscripto glossemate: *decursores farmacopolas et pyxidum gestores et fatuos monachos*; locus vexatissimus et antiquitus iam interpolatus, Edd. impr. habent nostram lectionem, exceptis duobus ultimis verbis, quae ibi leguntur *praesumimus ut prophanari.* — 127) *Talibus enim hominum monstris* τ. *Margaritae porcis sunt spargendae* σ. — 129) *Advulganda* ϱ. — 130) *Tales submovemus* σ, τ; *ergo sic submov.* ϱ. — 132) *Quae in aliis l. pr. inv. solent, et hic investiganda occurrunt. Intentio est doctrinam tradere etc.* ϱ, ita ut plura desint; *in aliorum libror. princ.* σ. — 133) *Huius etiam operis princ.* τ; *etiam* omittit σ. — 135) *Et ad quam p. ph. spectat* σ; *expectet* Edd. impr. — 135) 136) *Quis* pro *qui* σ, τ. — 137) *Intentio est doctrinam tradere* ϱ; *Intentio auctoris in hoc opere est compendiosam de pulsibus tradere doctrinam* σ; *Intentio auct. i. h. op. est etc.* τ. — 139) *Immutationes puls.* τ. — 140) *Scilicet* omitt. ϱ, τ. — 140) *Latinitatis indigentia. Et doctrina pulsuum est* ϱ; *latinitatis indigentia de pulsuum doctrina* σ; *latinitatis indigentia. Intelligentia de doctr. puls.* τ. — 141) *Corporis disponendi cognitio* ϱ. — 142) *Futurorum praecognitio et praeteritorum remem.* ϱ; *praeteritarumque remem.* τ. — 143) *Neutris corporibus* σ. — 144) *Iste per medicinam pertinet* ϱ; *Iste per medicinam pertinet ad physicam et mediante physica spectat ad naturalem scientiam et sic ad philosophiam* σ.

cam. Modus agendi est definitivus et divisivus. Definitivus, quia omnia genera pulsuum definit et significationes differentiarum determinat, quod ad definitivam pertinet doctrinam. Divisivus, quia omnia genera pulsuum in diversa partitur, et causae immutationum in diversas species trina sectione distribuuntur. Dividitur ergo in tres portiones liber iste; in prima agit generaliter de decem generibus pulsuum definiendo et de quinque considerationibus, secundum quas differentiae pulsus discernuntur. Secundo de speciebus generum et de circumstantiis et causis, ex quibus pulsus nominatur. Tertio asserit principaliter de significationibus pulsuum. Unaquaeque tamen partitio suum habet ordinem tractandi sibi specialem et proprium, quod ex littera erit manifestum. Titulum erubesco exponere, quia

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit:
Cum suus ex merito quemque tuetur honor.

Sed ne huius libri auctoritas in laudem detractoris infanda tituli mutatione convertatur, ne alius grana, quae non seminavit, colligere praesumat: demisso vultu et verenda fronte titulum supponimus, ut detractor falsigraphus nostram monetam ingenii et laboris alia imagine et adulterina effigiare non possit. Tunc ergo sit titulus talis: Incipit liber magistri Aegidii de pulsibus metrice compositus. His habitis ad litteram accedamus.

---

146) *Agendi est duplex, definitivus* ϱ; *Modus autem tractandi vel agendi duplex est, definitivus* σ; *diffinitivus* Edd. impr. — 147) *Omnia pulsuum genera* τ; *definit vel haec definiuntur et significationes definitorum determinantur, quod ad definitivam pertinet scientiam* σ; *significationes differentiarum determinavit*; verba *quod ad d. p. doctr.* desunt τ. — 149) *Quia genera pulsuum* ϱ, σ; *quia omnia genera in diversa* τ; *diversa partitiuntur genera* σ. — 150) *Varia sectione distribuuntur* ϱ; *Trina sectione distribuitur* Edd. impr. *Dividitur enim hic tractatus in tres partitiones* τ. — 153) *Pulsuum differentiae* τ. — 155) *Pulsus variantur* ϱ, σ. — 156) *Una tamen quaeque* τ. — 157) *Tractandi specialem* σ; *Specialem tractandi sibi et proprium* τ. — 158) *Qui ex serie litterae erit manifestus* σ; Quae nunc sequuntur inde a verbis: *Titulum erubesco* etc., omittit ϱ et sequitur statim versus primus: *Ingenii etc.* — 158) *Erubesco imprimere* σ. — 162) *Ne libri huius* σ. — 164) *Verecundi fronte* σ. — 165) *Monetam nostri ingenii* σ. — 166) *Aliena imagine* σ. *Est ergo titulus* σ, τ. — 167) *Liber magistri Egidii de differentiis pulsuum* σ; *Liber de pulsibus magistri Egidii* τ. — 168) *His prolibatis* σ; *His hab. a. l.* acced. omittunt Edd. impr. ββ, γγ, δδ.

PARS PRIMA.

Ingenii vires modicis conatibus impar
Materies onerosa premit perplexa figuris,
Ardua, difficilis, nodosa, impervia; parvis
Ardua molimur, nulli tentata priorum,
Qui tanti praerupta maris transire volentes,
Non freti ratis officio vel remigis usu,
Sed pedibus metricis et sicco calle vadamus.
Artificis tactum fidis inconcinna recusat,
Verbaque iunctura non articulata decenti
Nexibus arctari metricae compaginis horrent.
Quanto res gravior, quanto minus apta resolvi,
Ad veniam tanto proclivior esse meretur;
Ipsa rei gravitas si quid peccaverit auctor
Offensam culpae levat absolvitque reatum.

DE CORDE.

Cor vitae sedes, vitalis fida caloris
Mansio, naturae basis unica, sol microcosmi,
Vivifici thalamus, thronus et penetrale vigoris,
In quo fonticulus scaturit, qui fomite puro
Membra regit, vegetat, auget, disponit, adaurat.
Hinc stabiles numeros et physica vincla requiras,
Ex quibus humanae constant fundamina vitae;
Ex sementinis hanc incolit insita causis
Et sibi germanam reddit vis ignea sedem,
Unde datur membro species cognata calori:
In conum consurgit apex, terrestria fundant

---

2) *Mat. honorata* ϱ. — 3) Omitt. π. — 4) *Mollitur nullis* π. — 7) *Metricis pedibus* ψ. *Sicco calce* Edd. impr. *et* π; *calle* σ, τ, φ, ψ. — 8) *Artif. tractum* Edd. impr.; *tactum* postulat sensus et habent omn. codd. — 9) *Vinctura non* ϱ. — 10) *Nexibus aptari* ψ. — 11) *Gravior tanto* ψ. — 12) *Esse videtur* σ, π. — 13) *Actor* σ. — 14) *Culpae ligat* π. — 17) *Caloris* ϱ. — 18) *Purus* π. Fomite puro i. e. sanguine mundo caloris vitalis nutrimento. — 19) *Adurat* αα; *adurit* ββ, γγ, δδ; *adunit* σ; *adaptat* π; *adaurat* ϱ, τ, φ, ψ. Etiam commentarius editionum impressarum habet *adaurat* et haec vox insolita sic explicatur, quod cor aërem seu auram attrahat et per totum corpus quasi ventilando distribuat. — 20) *Vincla requires* π. Vincula, quibus anima et corpus uniuntur. — 21) *Spiramina vitae* ψ. — 22) Ex sementinis causis, i. e. ex prima formatione. — 24) *Cognata caloris* φ. — 25) Vis ignea seu calor naturalis cor ad sui ipsius naturam et similitudinem formavit, scilicet in formam coni, quae figura est ignis.

Aedificantque basim, sursum leviora feruntur. —
Effreni rapitur motu, nunc surgit in a r s i m
Nunc adversa t h e s i s ipsum premit aemula centri.
Continuo motu res fervida posset aduri
Deficeret traheretque sui dispendia motus,
Sed pulmo madidus, crudique humoris alumnus,
Multis distinctus cameris fovet ignea cordis
Blando concepti spiraminis ora flabello. —
Cordis forma, crasis, fumus, vis spiritualis
Vernula virtutis tribuens spiramina membris
Sunt arsis causae; thesis ex sola gravitate
Perficitur, dum deprimitur substantia per se.
Hunc regit et celebrat naturae regula motum,
Cuius vis animae membris infusa vigorem
Suscitat et reliquos virtutum temperat actus. —
Innatum recreet ut mulcebris aura calorem
Et procul absentent fumosae umbracula nubis
Spiritus ut digno reparari fomite possit
Ex arsi atque thesi conflatur motio talis,
Quae pulsum faciat et vitae consona fiat.

---

26) *Basim aedificant* ψ. — 27) *Effreni* ϱ, τ, φ, ψ; *effreno* Edd. impr.; *effreni rapitur motus consurgit in* π. Effrenis motus i. q. involuntarius. — 28) Arsis est diastole, thesis vero systole cordis; aemula centri, quae motu versus centrum tendit. — 29) *Continuo raptu* σ, φ, π. — 30) *Traheretque situ* π. — 31) *Multique humoris* π. *Crudique cruoris* σ, τ. — 33) *Blanda concepti sub staminis ora* π. *Ore flabello* Edd. impr.; *ora* ϱ, φ, π. Pulmo phlegmati inserviens ad modum flabelli cor refrigerat, ne nimio calore consumatur. — 34) *Vis specialis* π. Causae diastoles sunt quatuor: cordis forma rotunda, crasis eius calida, fumus sanguinis qui cor et arterias dilatat et vis cordis motiva, quae virtuti spirituali famulatur. — 35) *Spiritalia membris* π; *spiracula* σ, φ. — 36) Thesis s. *systole* oritur cum substantia cordis ex proprio pondere rursus collabitur. — 37) *Dura deprimitur* τ, cum adscripta var. lect. *dum.* — 38) *Hunc regit hunc celebrat* ϱ; *hinc regit* γγ. — 40) *Virtutis temperat usus* Edd. impr.; *virtutum temp. usus* τ, φ, π; *virtutum temp. cursus* ψ; *virtutum temp. actus* ϱ, σ. Sensus est: quamvis cordis motus ad naturalem vitam, non ad animalem pertineat, tamen sicut ceterae functiones vigorem sumit ab animae infusione. — 41) *Recreet ut mulc. aura vigorem* ϱ. — 42) *Et procul absistant* ϱ, φ, ψ. *Membracula* ϱ. — 43) *Species ut* π. *Possint* ϱ, ψ. — 44) *Motio talis* σ, φ, ψ, π; *motio cordis* habent Edd. impr., sed in ipso earum commentario legitur *motio talis*; motio, quae pulsum facit, ibidem composita dicitur ex motu arteriarum et cordis.

DE PULSU IN UNIVERSUM.

In pulsu resonant: tenor et concordia vitae,
Synzygiae vitalis amor, modulamina cordis,
Intima temperies, animi secreta voluntas,
Augma, paroxysmus, status et periodicus error,
Morborum critici motus, quid fata minentur,
Quid possit Lachesis, quicquid paret exitialis
Atropos, ense necis dum fila sororia rumpit.
Urinae fraudes aperit discretio pulsus,
Certificatque fidem; pulsus consummat et unit,
Judicium, genus in speciem censura reducit;
At pulsu dubio medici mens pendula nutat.

DE DECEM GENERIBUS PULSUUM.

Quinque modis probat artificis solertia pulsum,
Ex quibus elicitur numerus generum duplicatus:
Ex forma motus tria: magnum, forte, citatum;
Molle parit plenum, calidum substantia membri,
Ex quibus et primis series senaria surgit;
Spissum constituit mora, quae discriminat arses;
Qui pede dactylico pessum declinat ab alto,
Et qui deficiens surgit, viresque resumit
Ex collativa thesium ratione notatur;
Tanquam praecipuis adiuncta novissima primis,
In quibus est motus discors vel consonus, unus
Ordo vel adversus, numeri ratione notandus. —
Augmentata facit magnum dimensio trina,

---

46) *In pulsum resonat* ψ. — 47) *Siniugiae* τ. *Modulamine* τ; *modulatio* ψ. Synzygia vitalis est coniunctio corporis et animae. — 48) *Voluptas* π. — 49) *Cauma, paroxysmus, stasis* ϱ. *Stasis* φ, π. — 50) *Quae* ψ. *Minantur* π, σ, ψ. — 51) *Poscit* π. *Et quid* σ. *Parat* φ, ψ, π et Edd. impr. — 52) *Antropos* σ, ψ, Edd. impr. *Dura* ψ. — 54) *Confirmat et unit* Edd. impr.; *consummat* π, φ. — 55) *Judicii* Edd. impr.; *iudicium* omnes codices. *Species* ϱ. — 56) *Pulsu medio* π. *Mutat* Edd. impr. ϱ, π; *nutat* σ, τ, φ, ψ. — 57) *Pulsus* Edd. impr.; *pulsum* π, ϱ, σ, φ, ψ. — 60) *Calidae substantia membris* π. — 62) *Constituunt* ϱ. *Arxes* φ. Spissus pulsus i. q. frequens. — 63) *Dactilio* αα, ββ, γγ; *dactilico* δδ, σ, φ, ψ. *Passim declinat* Edd. impr.; *passum declivat* ϱ; *pessum declinat* φ, ψ, π. — 65) *Thesi* σ. *Notantur* π; *notentur* ϱ. — 66) *Notissima* φ. Versus 66, 67, 68 omittit π. Octo genera priora pulsuum praecipua sunt, reliqua, scilicet nonum genus et decimum minoris dignitatis sunt et quasi accessoria. — 68) *Notatus* Edd. impr.; *notentur* ϱ; *notandus* σ, τ, φ, ψ.

Parvum si parva, medium mediocriter aucta;
In longum latum magnus consurgit et altum,
Parvus in occultum strictum cadit atque recisum;
Qui medium sequitur merito mediocris habetur.
Longus ventriculos digitorum quattuor exit,
Subsistit mutilus, mediusque fit omnibus aequus,
In latum digitos latus tenet, eminet altus,
Occurrit gracilis strictus, residetque profundus. —
Constituit validum sociata frequentia magno,
Surgit ab oppositis species contraria causis. —
Arsis lenta parit tardum, festina citatum. —
Si pulsent digitos austero dura rigore
Organa, disponunt durum, si laxa remissum;
Si cedant: vacuum, si constent turgida: plenum. —
Pulsum disponit calidum calor arterialis,
Frigidus occurrit subiecti frigore membri. —
Cum reliquae species aliquo mediante ligentur
Jungitur invalido fortis, discrimine nullo
Aequus inaequali; causam compaginis huius
Solvant, qui dirimunt latebrosa aenigmata rerum. —
Si raptu subito morulae discrimine parvo
Arsim multiplicet series numerosa, frequentem
Constituit pulsum, species contraria rarum. —
Deciduus modulis ex fortibus et manifestis
Sensim degenerans tacito pede tendit ad imum,
Vergit in occultum satagens evadere sensum.
Inciduus surgit, respirat, tendit in altum

---

70) *Parvum sed parva faciet mediocriter acta* π; *acta* σ, φ. — 74) *Quattuor exstat* ϱ. Ventriculi digitorum sunt apices digitorum pulsum explorantium. — 75) *Absistit* ψ. *Medius* φ. — 78) *Validus* π. — 80) *Arsis longa* φ. *Lenta praeit tardum, festiva* π. — 81) *Vigore* π. — 82) *Disponit durum si larga* σ; *lassa* Edd. impr. et in comment. *lapsa*; *larga* ψ; *laxa* ϱ, τ, φ. *Vel laxa remissa* π. — 83) *Cedat* Edd. impr.; *cedant* omn. codd. *Constet* τ; *constant* π, ϱ, σ, ψ; *constent* φ. — 84) *Disponunt* ψ. *Calor articularis* π. — 85) *Frigora* ψ. — 86) *Medicante* π. — 87) *Invalidus forti* π, ϱ, ψ. — 89) Genus primum, tertium, quartum, quintum, sextum, septimum habent mediocrem speciem inter duas extremas, sed genus secundum, octavum, nonum et decimum hanc mediam seu mediocrem speciem non habent, quae res Aegidio difficillima videtur explicatu, explicatio tentatur a Gentili de Fulgineo in commentario ad hunc locum. — 93) *Deciduus morulus* ψ; *morulis* τ; *modulus* π. *E fort.* π; *est* φ. — 94) *Sensum* Edd. impr.; *sensim* ϱ, τ, φ. *Ima* Edd. impr.; *imum* σ, τ, φ; *in unum* ϱ. — 96) *Respirans* Edd. impr.; *respirat* π, ϱ, σ, φ, ψ.

Deserit occultum sibi concilians manifestum. —
Firmus et oppositi fugiens commercia motus
Permanet aequalis servato iure tenoris.
Degener instabilis nec eodem tramite currens
Nutat inaequalis dubiis moderatus habenis. —
Distinctis gradibus mutatur et ordine certo
Transit in oppositum, qui nomen ab ordine sumit.
Qui privative censetur ab ordine, leges
Ordinis excedit, praeceps, vagus et sine lege.
Spargitur extremum genus in numero specierum
Quae sibi mendicant peregrina vocabula rerum,
Quas collativi ratio sibi foederis unit:
Spasmosus, phthisicus, formicans, verminulosus,
Ramosus, fluitans, martellinus atque caprinus
Serrinus, rectus, soricinus sive retortus. —
Forma, crasis, sexus, aetas, gravidatio, somnus,
Et locus et tempus, labor, esca, repletio, potus,
Causa, genus morbi, coitus, turbatio mentis,
Corporeique situs variant idiomata pulsus. —

PARS SECUNDA.

Ardua propositi pars est exhausta laboris,
Altera nunc superest, cuius distinctio certis
Praescriptas species studet informare figuris.

DE INVESTIGATIONE PULSUS.

Pulsus in arteriis discerni debet honestis,
Expositis, longis, rectis, cordique propinquis;

---

97) *Et docet* π. *Conciliat* αα, ββ; *conciliant* γγ, δδ; *concilians* π, ϱ, σ, τ, φ. — 98) *Firmus in oppositum* σ, τ. — 100) *Curvans* π. — 101) *Mutat* Edd. impr.; *nutat* σ, τ, φ, ψ; *narrat* π. — 102) *Distinctus gradibus raptatur* π. *In ordine recto* Edd. impr.; *in ord. certo* π, φ, ψ. — 103) *Sumsit* φ. — 104) *Primitive* π; — 105) Sic ϱ, σ, φ, ψ; *Ordine praecedit praeceps est et* Edd. impr. *Princeps vagus* π. — 106) Extremum genus, scilicet pulsus ordinatus inaequalis et inordinatus inaequalis. — 107) *Vendicant* ϱ, ψ. — 108) *Collativa* Edd. impr.; *collative* ψ, *collativi* π, σ, φ. — 109) *Vermicularis* π. — 110) *Martellicus* π, σ, τ, φ. *Caprizans* τ. — 111) *Sertinus*, *r.*, *sorosinus* π. — 112) *Somnum* π. Enumerantur in hoc et sequentibus tribus versiculis causae mutationum pulsus, quarum primae sunt habitus et complexio corporis. — 113) Locus i. e. regio, in qua vivimus; tempus scil. anni; labor i. e. exercitium corporis; esca i. q. cibus; repletio i. q. balneum. — 114) Diversa causa et indoles morbi pulsum diversum efficit. — 118) *Praedictus* ψ. *Species iuvat* π.

Unde **sinistra manus**, cum sit contermina cordi
Judicio pulsus cognatior esse probatur:
Est ibi certa fides, veri constantia motus,
Pulsus veridicus, naturae vernula fidus.
Dextera pars, quia fervidior, quia plenius illam
Vivificus vapor irradiat, cordisque lucernam
Uberius recipit, ubi puri sanguinis auctor
Regnat hepar, teneri blandus persuasor amoris,
Incentiva mali qua fervet fellea bilis,
Aequivocat pulsum, tanto confusa calore
Implicat errores, examen adulterat artis. —
Laeva manus medici laevam levet et regat aegri,
Sustentantis opem pars imbecilla requirit.
Quae se si regeret modico concussa tremore
Falleret artificem, fieretque examinis error. —
    Sed cave, ne digitos in pugnum comprimat aeger,
Aut nimis extendat; lateris ne mole lacertus
Compressus fuerit; moderati schematis ordo
Assit, ut ambiguum tollat moderatio motum. —
    Dextra manus, quoniam sensus indagine pollet,
Et sibi vividior datur experientia tactus,
Applicet arteriae digitos: manifesta notetur
Appositis leviter digitis, abscondita pressis;
Nec prius absistat, donec centesima fiat
Motio, qui numerus naturae servit et huius
Judicio numeri claret sententia veri. —

---

121) *Una sinistra* π. — 122) *Cognitior* Edd. impr.; *cognatior* omn. codd. *Esse videtur* π. — 123) *Et tibi* π; *est tibi* φ. — 125) *Dextra* αα, ββ; *dextera* γγ, δδ. — 126) *Lucerna* σ. — 127) *Liberius recipit* Edd. impr.: *uberius* omn. codd. *Puri s. actor* Edd. impr.; *auctor* ϱ, σ, φ, ψ; *nec parvi sanguinis actor* π. Hepar tanquam organon sanguificationis consideratum, et tanquam sedes voluptatis ad mentem antiquorum. — 129) Forsan *fellea cystis?* — 130) *Pulsus t. c. colore* π. — 131) *Implet et* π. *Arsis* c. adscr. var. lect. *artis* τ. — 132) *Laevam levat et rogat* φ; *levet laevam et regat* ψ. — 133) *Substentantis* Edd. impr.; *sustentantis* omn. codd. *Requiret* φ. — 134) *Si se regerit* Edd. impr.; *se si regeret* omn. codd. *Confusa* π. — 138) *Scomatis* Edd. impr.; *scematis* π, ϱ, τ, φ, ψ. Moderatum scema seu schema est recta et congruens positio membrorum. — 139) *Adsit* Edd. impr., *assit* omn. codd.; *assit et* σ. — 141) *Sibi iuventi* π. *Experientia motus* ψ. — 142) *Notentur* Edd. impr.; *notantur* ϱ; *notetur* π, φ, ψ. Manifesta scil. arteria. — 143) *Appositis digitis leviter* Edd. impr.; *applicitis lev. dig.* ψ, *appositis lev. dig.* π, ϱ, σ, φ. — 145) Commentarius impressus ad hunc locum: „centenarius enim praecipuus est limes numeri vel numero-

DE SIGNIFICATIONIBUS PULSUUM.

Magnus, qui nervis naturae se moderatur,
Quem nec causa mali, nec vis symptomatis urget,
Prodigus, instabilis, aurae cupidus popularis,
Ardua molitur, animi secreta revelat,
Huic comes adiuncta est virtus intensa caloris,
Copia spirituum, species accommoda membri.
Ad dilatandum proclivis et apta moveri. —
Qui naturales peregrinus ab ordine leges
Transvolat et magni pulsus sibi nomen adoptat
Concitat hunc pravaeque movet conceptio causae,
Spirituum fervor, vis symptomatica febris,
Aut labor aut coitus vehemens aut impetus irae.
Ut rata pars eius magno concordat apertus. —
At quem continui producit linea motus,
Conciliat proprium cui vis germinata tenorem,
Fertile spirituum regimen, validumque calorem
Indicat et valido quae sunt adiuncta calori. —
Quem notha causa trahit, quem vis aliena lacessat,
Lapsum dyscrasiae notat, excessumque caloris. —
Sunt adiuncta satis expressa superficialis,
Cui natura suum dat consistentia motum,
Segnities, mens flexibilis, crasis humida cordis. —

---

rum et multae perfectionis ministerio foecundus et gravidus et in naturalibus et theologicis.“ — 147) *Numeris naturae* Edd. impr.; *nervis* π, φ. Pulsus magnus, qui nervis i. e. quasi vinculis naturae continetur seu pulsus magnus naturalis. — 148) *Quam non causa* π; *quem non* ϱ, τ. *Auget* c. adscr. var. lect. *urget* τ. — 151) *Immensa caloris* π, φ; *intensa calore* Edd. impr.; *intensa caloris* ϱ, σ, τ, ψ. — 152) *Membris* Edd. impr. *et* π; *membri* ϱ, τ, φ, ψ. Membri scil. arteriae. — 153) *Moneri* π. — 154) Lacuna codicis τ, usque ad v. 192, cum folia desint. Pulsus magnus praeter naturam. — 155) *Et magis sibi pulsus* Edd. impr.; *et magni pulsus sibi* π, ϱ, σ, φ, ψ. *Adaptat* π, σ, φ. — 156) *Concreat* φ. — 157) *Hic spirituum ferv.* σ. *Vis et symptomatica* αα, ββ, γγ; *vis et symptomata* δδ; *eius syntheata* π; *vis symptomatica* ϱ, σ, φ, ψ. — 159) *Rara* δδ. Pulsus apertus seu in altum elevatus idem significat, quod magnus pulsus. — 160) *Et quem* Edd. impr.; *at quem* ϱ, σ, φ, ψ. *Continuum* ϱ. *Aut quem continui perducit* π. Pulsus longus naturalis. — 161) *Vis geminata* Edd. impr.; *germinata* ϱ; *regitiva* ψ; *genitiva* π. *Calorem* Edd. impr.; *tenorem* π, ϱ, σ, φ, ψ. — 162) *Spirit. regnum* π. — 164) *Nota* Edd. impr.; *notha* ϱ, σ, φ, et ipse commentarius impressus, qui notham explicat per alienam et acutam. *Quamvis* αα, ββ, γγ; *quae vis* π. *Latescit* ϱ. Pulsus longus praeter naturam. — 166) Pulsus latus naturalis. — 167) *Det* π. — 168) Omittit π.

Falsa superficies et symptomatica chymos
Dissipat, arterias humectat, membra resolvit. —
Qui latet occultus, nimis in centrum revolutus,
Degeneri natura regit quem devia motu,
Claudit conceptus animi, secreta sigillat,
Pauperat innati regimen vitale caloris,
Organa spirituum signat minus apta moveri,
(Spiritus atque vigor brevis est animusque pusillus). —
Qui latet enormis geniique charactere fracto
Mergitur in centrum nec post parat inde regressum
Tendit in eclipsim, quaerens subvertere physim. —
Qui mutilo motu ferit organa, sed geniali,
Contrahit a magnis animi molimina rebus;
Invidus et timidus, cupidus, detractor avarus,
Frigida quem cordis complexio spirituumque
Pauperies, vis membrorum imbecilla sequuntur. —
Cui rectum mutilat enormis apocopa cursum
(Stans ita continue, subito nec longior assit)
Aurae vitalis studet annullare calorem. —
In gracili, qui naturae privatus obedit,
Cordis sicca crasis legitur, constantia mentis,
Propositique tenax atque inconcussa voluntas. —
Ex gracili praeter naturam significatur

---

169) Falsa et symptomatica superficies i. e. pulsus latus praeter naturam. Chymos i. e. humores. — 170) Cod. ϱ et ψ transponunt versus 169 et 170, ut posterior sit prior. — 171) *In centro revolutus* Edd. impr., ψ; *in centrum resolutus* φ; *incertum revolutus* π. Pulsus occultus naturalis. — 172) *Degenerem n. r. et devia motus* π. — 174) *Ignavi regnum* π. — 175) *Designat inepta moveri* Edd. impr.; *signat minus apta moveri* ϱ, σ, φ, ψ. *Organa supremum signant minus apta* π. — 176) Hunc versum omittit φ et π, inter v. 174 et 175 ponit ψ, inter v. 177 et 178 ponunt Edd. impr., inter v. 178 et 179 σ. — 177) *Geminique* ϱ. Pulsus occultus praeter naturam. — 178) *Nec praeparat* Edd. impr.; *post parat* ϱ, φ, ψ. Versum 178 omittit π. — 179) *Cupiens evertere* ϱ. Versum 179 omittit σ. Sensim evanescit et corpori mortem minatur. — 180) *Mutulo* ϱ. *Feret* π. *Genitali* c. adscr. var. lect. *geniali* ψ; *geniales* π. Genialis i. q. congenitus. Pulsus curtus naturalis. — 181) *Volumina* ϱ. — 182) *Invidus et cupidus magnus detr.* Edd. impr.; *inv. et timidus, cupidus detr.* π, σ, φ; *inv. et cupidus magni detr.* ψ. — 183) *Complectio* π. — 184) *Secretur* π. — 185) *Qui rectum* Edd. impr.; *cui* π. *Enormis et apoc.* Edd. impr., *et* omittunt omn. codd. Pulsus curtus praeter naturam, seu cui rectum cursum causa praeternaturalis abscindit. — 186) Omitt. π, φ. — 187) *Annichilare* ϱ; *auxiliare* φ. *Dolorem* π. — 188) Pulsus gracilis seu strictus naturalis. — 190) *Tenet atque intercussa* π; *tenor* Edd. impr., ψ. — 191) Pulsus strictus praeter naturam.

Corporis ariditas, compactio materiei. —
    Linea si fuerit sociata superficiei
Regnat et aëreus in venis militat humor. —
Linea stricturae nexu vinclata fideli
Nuncia fit cholerae, cuius vis ignea venas
Incolit et sedes sibi vendicat interiores. —
Phlegma probat brevitas regnare superficiata.
Imperium quarti brevitas angusta fatetur. —
    Si fortis valida membrum virtute repellit,
Vis regitiva suum tenet inconcussa vigorem,
Spiritus exultat, cuius procliviter ictum
Suscipit et facile membri substantia cedit.
Vergit in oppositum species contraria signum. —
    Cor fervens, animus praeceps, titubansque loquela
Et verbum mentem praecurrens verbere vocis,
Actio festina nullo librata tenore,
Quam non depingit ratio, nec dividit ordo,
Ponderat eventus, nec certis claudit et arctat
Limitibus dubii mutabilis alea finis,
Vivida spirituum natura, caloris acumen,
Ad nutum causae artificis resolubilis humor
Naturae pulsum velocem rite sequuntur. —
At quem praepropero pulsat vis dyscola raptu
Indicat accendi peregrinum in corde calorem. —

---

193) Pulsus longus et latus simul. — 194) *Regnat in aëriis* π. *In vasis* π, ψ et Edd. impr., sed commentarius impressus habet ad verba regnat et militat: „i. e. dominatur et excedit in venis, quae sunt vasa sanguinis." Etiam φ legit *in venis*. — 195) *Nunc lata fideli* π. Pulsus longus et strictus simul. — 197) *Sibi dedicat* π, σ, τ. Etiam φ habet margini adscriptum: vel *dedicat*, in textu *vendicat*. — 198) *Probat breviter regnantque* π. Pulsus curtus et latus simul. — 199) Pulsus curtus et strictus simul. Quarti scil. humoris, i. e. cholerae nigrae. — 200) *Membri* σ, et tanquam var. lect. τ. Pulsus fortis. — 201) *Vix* Edd. impr. *Suum retinet* ψ. *Tenet intermissu vig.* π; *inconc. tenorem* ϱ. — 202) *Species exult.* π. — 203) *Recipit substantia membri* ϱ. Membri i. e. arteriae, quae scilicet facile spiritum recipiendo extenditur. — 204) *Pergit* Edd. impr.; *vergit* τ, φ, ψ; *vergat et impositum* π. Pulsus debilis. — 205) *Animusque* Edd. impr. ψ; *animus* π, ϱ, σ, φ. Pulsus velox naturalis. — 206) *Verbis mentem* ϱ, ψ; *verbum mentem* τ; *verbum mentis* π, φ; *verbum mente percurrens* Edd. impr.; *praecurrens* φ; *postcurrens* π. *Vocem* ϱ. — 207) *Festiva* π. *Vibrata* σ. — 208) *Nec dirimit* Edd. impr.; *dividit* ϱ, τ, φ, ψ; *non dividit* π. — 209) *Ponderet* π. — 210) *Dubiis mirabilis* π. — 212) *Cerae artif.* π. — 213) *Velocis* π, φ. — 214) *Et quem praecipiti* Edd. impr.; *at quem praepropero* π, σ, φ; *praepropere* ϱ, τ. Pulsus velox praeter naturam. — 215) *Incidit* π.

Velocem tardus difformi lege refellit.
Distat ab extremis parili quoque lance recedit
Eucrasiae medius fidus comes et paranymphus. —
Vasis durities, cordis rigor, aridus humor,
Mens austera nimis, pulsus mysteria duri.
Pulsus durities in pleuresi perniciosa,
Arida materies, terrestris, cruda probatur,
Solvi difficilis, ex quo discussio morbi
Protrahitur, vis opprimitur, natura fatiscit,
Victaque succumbit longo lassata duello. —
In pulsu cui mollitiem natura ministrat
Cordis et arteriae pariter substantia mollis,
Corporis innuitur crasis humida, mens muliebris,
Cerea, flexibilis, pia, blanda, parumque fidelis. —
Advena mollities, quam symptomaticus urget
Impetus, humores dissolvit, vasa remollit. —
Copia spirituum per plenum plena notatur,
Sanguinis eluvies uberrima vasa replentis. —
In vacuo venae sitiunt, vegetabilis aurae
Vis absorpta perit, vivi fons sanguinis aret,
Quem bibit ariditas peregrini lima caloris. —
At calidus, cuius mordax punctura perurit
Continue digitos, index est febris acutae.
Si calidus digitos intervallariter urat,
Intervallaris atque induciosa notatur.
Est ethicae testis calidus vacuo sociatus. —
Spirituum probat occasum vitaeque lucernam
Celat et extinguit gelidus spiracula cordis.

---

216) *Deformi* ϱ, τ. *Repellit* φ; *resolvit* ψ. Pulsus tardus. — 217) *Quasi lance* π. Pulsus medius inter velocem et tardum. — 218) *Medicus* π. *Comesque peramphus* Edd. impr.; *comes et* omn. codd.; lego *paranymphus*, cfr. carm. de medicamentis I. 3. v. 124 et 471. — 219) Pulsus durus. — 220) *Mens assueta* π. — 221) *Durities pulsus* ϱ, τ, ψ. — 225) *Vitaque* Edd. impr. et φ; *victaque* π, ϱ, σ, τ, ψ. *Linguae lassata* π. — 226) Pulsus mollis naturalis. — 230) Pulsus mollis praeter naturam. — 231) *Membra resolvit* ϱ, ψ. — 232) Pulsus plenus. — 233) *Elluvies* αα, ββ; *eluvies* γγ, π, φ; *ingluvies* cum adscr. var. lect. *eluvies* σ, τ; *exgluvies* ψ. — 234) Pulsus vacuus. — 237) *Et calidus* Edd. impr.; *at* omn. codd. *Mordax cuius* φ. *Pressura* ψ. Pulsus calidus. — 238) *Continuo* σ. — 239) *Urens* Edd. impr.; *urit* ϱ, τ, ψ; *urat* π, σ, φ. — 240) *Vocatur* Edd. impr.; *probatur* π, ϱ; *notatur* σ, τ, φ, ψ. — 241) *Ethicae sit* ψ. — 242) Pulsus frigidus. — 243) *Spiramina* Edd. impr.; *spiracula* π, ϱ, σ, φ, ψ.

PARS TERTIA.

Respirare licet modicum, tiruncula Clio,
Mulcebris instaurat fessas recreatio vires.
Jam satis est, nunc tolle moras, succingere, gressum
Arripe, sed caveas pedibus ne scandala fiant:
Devius est callis et milia multa supersunt,
Excubat in triviis forsan clandestinus hostis,
Invidiae scelerata lues, furuncula famae
Pessima pro puris spargens zizania granis.
Ut sit processus securior et tibi parcat
Invidus, ut fatui vites ludibria vulgi,
Verba Musandino maneant condita sapore:
Omnibus aequivoci titulum praetende Salerni,
Praesulis Alphani claro signata sigillo.

CONTINUANTUR SIGNIFICATIONES PULSUUM.

Qui recolit replicatque suum s a e p i s s i m u s ictum
Ex vi contrahitur fragili, fortique calore,
Cordis adoptivus vapor ut possit recreari
Sufficiens poscit spiramen mulcebris aurae,
Ne semel huic detur, quantus sibi convenit aër,
Vis oppressa negat, ergo perplexa rependit
Multiplici numero, quod iam peccavit in uno,

244) *Libet* τ, φ. — 246) *Subcinge* ϱ; *succinge regressum* Edd. impr.; *succingere gressum* π, φ, ψ. — 247) *Accipe* Edd. impr.; *arripe* π, ϱ, σ, τ, φ. *At* ψ. *Pedibus caveas* φ. — 248) *Est calor* Edd. impr.; *est callis* omn. codd. — 249) *Excubat interius* Edd. impr.; *in triviis* π, φ. — 250) *Celebrata lues* Edd. impr.; *scelerata* omn. codd. *Furmicula* Edd. impr.; *furuncula* omn. codd. quasi fur lenta et tacita. — 253) *Et fatui veteris* Edd. impr.; *et fatui vites* τ, ψ; *ut fatui vites* π, ϱ, φ. — 255) *Aequivoce* π. *Salini* π. Nomen aequivocum Magistri Salerni, quod nomen urbis et viri simul est. — 256) *Alfani* Edd. impr., *Alph.* π, τ, φ. Sensus est: ut securus sit libellus ab omni iniuria, muniendus est nominibus illustrium doctorum scholae medicae Salernitanae, Musandini scilicet, Salerni et Alphani. — 257) *Replicat recolitque* ψ. Pulsus frequens. — 258) *Facili* ψ. — 260) *Possit spiramine* Edd. impr.; *possit spiramen* π. — 261) *Ne simul huic detur, quantum sibi competit aër* Edd. impr.; *nec semel huic detur, quantum sibi postulat aër* π; *sed semel ut detur, quantus sibi convenit aër* τ, ψ; *nec semel huic detur, quantus sibi convenit aër* ϱ; *ne semel huic detur, quantus sibi convenit aër* σ, φ. — 262) *Igitur perplexa reprendit* Edd. impr.; *igitur perpessa rependit* ψ; *ergo perplexa rependit* π, ϱ, φ. — 263) *Jam formavit* Edd. impr.; *iam peccavit* omn. codd.

Crebraque defectum quanti repetitio pensat.
Debilis in raro calor est, infirmaque virtus. —
Motibus inciduì pulsus virtus reparatur,
Captivata salus fit libera, languida fortis,
Debilis instaurat vires, oppressa resurgit,
Vita reformatur, victo symptomáte morbus
Exulat, accepto bravio natura triumphat. —
At per deciduum, vitae iam vespere facto,
Vergit in occasum splendor vegetabilis aurae,
Enervata perit virtus, parceque trahenti
Atropos insultat, ut vitae syncopet usum.
Juncta bono paritas bona fit, mala iuncta sinistro,
Contrahit adiuncti compaginis aemula formam. —
Imparitas reprobanda boni, laudanda sinistri:
Nam tibi propositis, quae sunt optanda, duobus
Elige, quod fixum stabili bonitate moratur;
Ex tibi propositis, quae sunt fugienda, duobus
Elige mobilius, fuge, quod constantius exstat.
Qualibet in specie pulsus paritas reperiri
Imparitasve potest, sed non aequaliter aequum
Unica solius facit observantia pulsum:
Si magnus se continuet propriumque tenorem
Servet inoffensum, cadit in plena paritate;
Cum species aliena subit, non dicitur aequus
Simpliciter, sed in hoc, cum non sit in omnibus aequus. —

---

264) Calor extraneus et morbosus, quem assumsit sibi cor ex causa morbifica, multo aëre indiget, ut refrigeretur, sed vis oppressa sufficientem aëris quantitatem singulis ictibus non exhibet, igitur crebrius repetendi sunt ictus, inde frequens pulsus. — 265) Pulsus rarus. — 266) *Virtus operatur* σ, τ. Pulsus incidens. — 267) *Captiva* σ. — 268) *Compressa resolvit* ρ. — 269) *Vita formatur, v. s. morbi* ψ. — 270) *Exultat capto* Edd. impr.; *exulat accepto* π, ρ, τ, φ, ψ. Bravium i. q. praemium victoriae. — 271) *Et* ψ. Pulsus decidens. — 274) *Atropos exultat* ψ. *Syncopat* ρ. — 275) *Juncta bona* Edd. impr.; *bono* π, σ, τ, φ. *Iniuncta paritas fit bona, iuncta sinistro* ψ. — 276) *Et trahit adiuncti* π, φ; *et trahit adiuncta* σ; *contrahit adiunctae* Edd. impr. — 277) *Reprobanda mali* φ. — 279) *Levitate* ρ. *Probatur* tanquam var. lect. in τ. — 281) In bono pulsu bona est aequalitas, in malo mala, cum contra inaequalitas bona sit in malo pulsu, mala in bono. — 283) *Imparitasque* ρ, ψ. — 284) *Pulsus* ρ. — 286) *A plena paritate* Edd. impr.; *in plena par.* φ; *a pura* τ. — 287) *Nec dicitur* π, ρ, σ. — 288) Potest scilicet pulsus aequalis et inaequalis esse vel in omnibus qualitatibus, vel in una aliave solum.

Cauda retortiva primo nullescit in ictu,
In reliquo languet, fit motio tertia lenis,
Judicio sensus se quarta magis manifestat,
Quinta viget, valido firmatur sextá vigore;
De tenebris sensus et de languoris abysso
Repit in excelsum graduali tramite surgens;
Hoc pulsu solitos natura reciprocat actus. —
Finitiva suos motus orditur ab alto,
Sensim deprimitur, declinat, nullificatur,
Et de propatulo sensus se mergit in imo:
Hic vicinantis affert praeludia mortis.
Collectis fuge sarcinulis, opifex medicinae,
Nil impensa valet tua, nil suffragia prosunt,
Damna resarciri nequeunt iam morte propinqua,
Atropos excludit Lachesim, vitalia rumpit
Stamina, dissolvit gumphos vitamque relegat:
Salva tibi maneat frontis reverentia, vultum
Exere; ne pariat tibi mors vicina pudorem,
Mortiferos tua praeveniat sententia casus,
Officium vatis retinens nomenque prophetae.
Non semper sanat medicus rhetorve perorat,
Sed tamen officium concludit fine supremo
Singula, quae debet, si contingentia servet,
Vitam victuro, vel si mortem morituro
Judicio dictet stabili, quae culpa medentis?

---

289) *Retornativa* Edd. impr.; *retortiva* omn. codd. *Mollescit* Edd. impr.; *nullescit* π, φ. *In ictum* Edd. impr.; *in ictu* omn. codd. Pulsus inordinatus et ordinatus inaequalis. — 290) *Fit tertia motio* Edd. impr.; *fit motio tertia* π, ϱ, φ, ψ. *Levis* Edd. impr. et φ; *lenis* π, σ, ψ. — 292) *Viget motu* ψ; *viget celeri* ϱ. — 293) *Ab ipso* Edd. impr.; *abysso* π, ϱ, σ, φ, ψ. — 294) *Tendit in excelsum* τ, ψ. *In excessum* Edd. impr.; *excelsum* π, σ, τ, φ, ψ. *Tramite pergens* Edd. impr.; *tram. surgens* omn. codd. — 295) *Reprobat* σ; *reciprocat ictus* Edd. impr.; *recipr. actus* π, ϱ, φ. — 297) *Sensum deprim.* π, σ; *sensus* ϱ; *sursum* ψ. *Mollificatur* Edd. impr., *nullificatur* π, φ, ψ. — 298) *Se mergat in imo* Edd. impr.; *se mergit in ima* τ; *demergit in imo* ϱ, ψ; *se mergit in imo* π, σ, φ. — 299) *Haec vicinantis affert* π; *haec vicinantis referunt* σ. — 301) *Valent tua* Edd. impr.; *valet tua* π, φ; *valent nil tua* ψ. — 304) Gumphi sunt vincula s. concatenationes, hic forsan vinculum animae et corporis, v. Urin. v. 308. — 305) *Frontis verecundia* Edd. impr.; *fr. reverentia* π, ϱ, φ, ψ. — 306) *Extere* Edd. impr.; *erige* ϱ; *exterge* ψ; *exere* π, φ. — 307) *Praeveniet* φ. — 313) *Dicet* π; *dicat* ϱ, ψ.

Officium commune duum curatio morbi
Actio communis vix consummatur ab uno. —
Descensu saltum geminat **caprinus** in uno,
More caprae saliens, quae bis prius aëra pulsat,
Quam semel in terram quaerat defigere gressum;
Cedit in hac specie progressio prima secundae.
Si species talis genesi dictante resultet,
Hoc signo vasis substantia dura, rebellis,
Aurae vitalis vis imbecilla notatur,
Sensus hebes, sermo praeceps, titubatio linguae,
Quae multis revoluta modis ut verba moveret
Mentis conceptum mutilata voce resolvit. —
Si caprinus erit sine lege vel ordine pulsus
In causa est mixtura mali, diversa diaeta,
Dissona materies, resolutio multa vaporis. —
Ut ferit incudem bis malleus et resilire
Cogitur obiecti massa suadente metalli,
Et fit dividuus, in se tamen unicus ictus:
Sic resilit duro membri concussa rigore
Et digitos species sic **martellina** retundit;
Nec redit in centrum donec geminaverit ictum,
(Ex quo nativo signatur spiritus ingens,
Cor siccum, discors mentis praesumtio, fastus;)
In febre continua martellino dominante
Caumate febrili cordis depascitur humor. —
Scinditur in ramos **ramosus**, et organa motu

---

314) *Commune tuum* c. adscr. var. lect. *duum* τ; *commune durum* ββ; *divum* φ. — 315) Curatio morbi non est res solius medici, sed huius simul et naturae aegroti, quare non potest imputari exitus medico soli. — 316) *Geminans* ρ. *Ab uno* Edd. impr.; *in imo* π; *in uno* σ, φ. — 317) *More caput* Edd. impr.; *caprae* omn. codd. *Prius bis* ψ. — 318) *Defigere cursum* Edd. impr.; *gressum* π, σ, τ, φ, ψ; *gressus* ρ. — 320) *Talis species* π. *Resultat* αα, ββ; *resultet* π, φ, ψ. Genesi dictante i. e. secundum naturam. — 322) Omitt. σ. — 323) *Serrino praeceps turbatio mentis* Edd. impr.; *sermo praeceps*, *titubatio linguae* omn. codd. — 324) *Quam multis resoluta* Edd. impr.; *quae multis revoluta* ρ, σ, τ, φ, ψ; *quae multis reserata* π. — 326) *Sed* φ. — 327) *Adversa diaeta* ψ. — 328) *Dissolutio* ψ. — 329) *Cum ferit* Edd. impr.; *ut ferit* π, ρ, τ, φ, ψ. — 330) *Obiecta* π. — 331) *Et sit* Edd. impr.; *et fit* π, ρ, σ, τ, φ; *et sic* ψ. *Unicus actus* φ. — 332) *Resilit denuo* σ. *Vigore* φ. — 333) *Retendit* Edd. impr.; *recumbit* π; *retundit* σ, τ, φ, ψ. — 335) *Nativus* τ. *Ignens* Edd. impr.; *ingens* ρ, σ, τ, ψ. Versus 335 et 336 omittunt π et φ; versum 336 omittit ψ. — 339) *Finditur* Edd. impr.; *spargitur* τ; *scinditur* π, ρ, σ, φ, ψ.

Quadrifido feriens digitos percurrit, in uno
Discolor impulsu, sicut confusa resultat
Vox citharae fidibus uno simul ordine tactis.
Haec species crasis imperio suadente figurat
Mobile propositum, cordis mutabile votum. —
Si talis cogente mali symptomate fiat,
Morbi materies fit dissona, causa repugnans,
Militat ex aequo virtus, symptoma retundit,
Vita reformatur, victrix natura resurgit,
Exspirante mali nebula redit aura salutis. —
    Vasa procellosus enormi concutit ictu,
Fluctuat, exundat, fremit, aestuat et digitales
Ventriculos sibi compressos lateraliter ambit,
Pars infra aut sursum, pars retro vel ante movetur:
Inde probes subitum mentis cordisque tumultum,
Sanguinis undantis turbato in corpore motum. —
    Spasmosus vacuus, tensi qui more rigescit
Funiculi, phthisicis famulatur et extenuatis,
Corporis humorem sorbet, depascit, inanit. —
Plenior occurrit species spasmosa, replentur
Organa, rheumaticus nervis infunditur humor,
Laesaque motivo viduantur membra vigore. —
    Sunt gemini pulsus formicans, vermiculosus,
Ustivis potius in febribus et peracutis
Mortis praecones fidi redolentque sepulcrum.
In febre formicans plus vermiculante verendus,

---

340) *Quadrifico* ϱ, σ. *In imo* Edd. impr.; *in uno* ϱ, σ, τ, φ, ψ. — 341) *Inpulsu* Edd. impr.; *impulsu* π, τ, φ. *Resistit* Edd. impr.; *resultat* omn. codd. — 343) *Suadente curat* π. Crasis imperio suadente, i. e. secundum naturam, scil. secundum complexionem innatam. — 348) *Nutrix* Edd. impr.; *victrix* π, σ, τ, φ, ψ. — 351) *Fremit, excitat* ψ. — 352) Ventriculi digitales i. q. apices digitorum, cfr. v. 74. — 353) *Pars et sursum p. retro et ante movetur* αα, ββ; *pars infra et sursum p. r. e. a. mov.* γγ, δδ; *p. infra aut s. p. r. et a. mov.* ϱ; nostram lectionem habent π, σ, φ. — 355) *Turbato corpore* ψ. — 356) Spasmosus pulsus duplex est, vel vacuus, vel plenus. *Tensi quoque* Edd. impr.; *qui* π, ϱ, τ, φ, ψ. — 357) *Figuratur et exten.* ϱ. — 358) *Depascit sorbet inanis* Edd. impr.; *sorbet, depascit, inanit* π, σ, φ, ψ. — 359) Pulsus spasmosus plenus. — 361) *Lenia motivo* Edd. impr.; *laesaque* ϱ, σ, τ, φ, ψ; *laevaque* π. — 363) *Aestivis* Edd. impr.; *ustivis* omn. codd. Ustivae seu ardentes febres. — 364) *Fidi reserantque sepulcra* Edd. impr.; *fidi redolentes sepulcrum* σ; *fidi redolentque sepulcrum* π, ϱ, φ, ψ. — 365) *Formicans pulsu* Edd. impr.; *plus* omn. codd. *Timendus* ϱ.

Nec redit ad melius, sed vitam morte soporat.
Saepius has species excepto caumate febris,
Non urgente necis discrimine, syncopis infert. —
Occurrit digito species serrina priori
Debilis, in reliquo fit languida, nulla sequenti;
Hic trahit a serra cognata vocabula pulsus,
Cuius cum primis incisio dentibus acta
Est gravis, in reliquis gravior, funesta supremis;
Corporis hoc pulsu fatalis serra vigorem
Amputat et vitam nubes lethalis obumbrat. —

EPILOGUS.

Fige tuo metas operi, sat prata biberunt,
Semina luxuriant, prius arida terra colono
Plenius arridet pingui laetamine gaudens,
Et nobis fructus exponens divite vena
Jam sterilem cultum Philareti vomeris horret.

---

366) *Non redit* Edd. impr.; *nec redit* π, ϱ, σ, ϙ, ψ. — 367) Interdum syncope producit pulsum formicantem et vermiculosum, cum nulla adsit febris ardens, et tunc hi pulsus periculum mortis non indicant. — 370) *Debilis reliquo* δδ; *nulla frequenti* σ. — 379) *Et fructus nobis* Edd. impr.; *ex nobis fr.* ϱ; *et vobis fr.* π; *et nobis fr.* ϙ, ψ. — 380) *Sterilis* ψ. *Fomeris* Edd. impr.; *nominis* π, σ, ϙ; *vomeris* ϱ, τ, ψ. Doctrina pulsuum nunc non amplius ex tenui Philareti libello tractabitur.

Explicit Aegidii carmen de pulsibus.

MAGISTRI

AEGIDII CORBOLIENSIS

LIBRI

DE LAUDIBUS

ET

VIRTUTIBUS

COMPOSITORUM MEDICAMINUM

METRICE COMPOSITI.

PROOEMIUM.

Introducendis in practicam ex nullo libro medicinali tam foecunda et fertilis physicae experientiae ratio comparatur, tam fructifera practicae amministrationis doctrina colligitur, ex nullius disciplinae munimentis medendi artifex naturae novaculis in remediandis corporibus, in resarciendis defectibus, in curandis aegritudinibus, ita ad plenum armatur et accingitur, sicut ex libro Antidotarii. Qui ideo Antidotarius inscribitur, quia in eo summa omnium antidotorum et medicaminum ad morborum curationes pertinentium, summatim et breviter texitur. Priori secundum ordinem alphabeti omnium antidotorum, catharticorum, electuariorum, emplastrorum, cataplasmatum et unguentorum, et ne discurram per singula, omnium peritiae medicinali suffragantium virtutes et potentiae distinguuntur, et contra quas valeant aegritudines exprimitur et modi exhibitionum determinantur. In eo singulorum medicaminum receptiones declarantur et omnium, quae recipiuntur in medicinis, ponderum quantitates appenduntur. Unde iudicio meo, ut fatear verum, ut sine nube mendacii, ut sine involucro ambiguitatis nuda veritas prodeat in apertum, practicae studiosi, si provida causarum discretione pollerent, si eorum operibus speculationis theoricae praeradiaret intellectus, ne operatio fatua carens regimine contemplationis in praecipitium traheretur erroris, abiectis

---

3) *Administrationis* Ls.; *amministrationis* π. — 4) *Naturae vernaculis* Ls.; *ūnacl's μ;* etsi forsan legi posset *naturae vernaculus*, tamen secutus sum Gudii lectionem *naturae novaculis*, praesertim cum verba „armatur" et „accingitur" sermonem de armis contra morbos, i. e.: de medicamentis poscere videantur. — 7) Antidotarii, scilicet antidotarii Nicolai Praepositi, quem commentatus est Matthaeus Platearius; Aegidii carmen de medicamentis compositis in explicando hoc commentario versatur. — 10) *Prior μ; priori* legit Gudius. — 11) *Catharticorum* omitt. Ls. — 21) *Praeradiarent* Ls.; *praeradiaret* π.

inutilibus quarundam practicarum sarcinulis, satis larga et diffusa Antidotarii disciplina possent esse contenti. Ex ipso Antidotarii armariolo artifex frameatur: si eius exercitium habuerit, et diligenti ac sedula eius doctrinam observatione coluerit, ut sciat, quando debeat addere, quando subtrahere, quando unum ex aliis contemperare; omnem humani corporis pestem, omnem naturae incommoditatem sufficiet expugnare. Sed, inquis: modo hunc librum evolvere volo, modo illum. Fastidientis stomachi est multa degustare, quae, ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege libros, et si quando ad alios divertis, ad priores redi; et cum multa percurreris, utiliora quaedam excerpe, quae illo die studii calore et frixorio meditationis decoquas. Distrahit nos librorum multitudo, confusio experimentorum. Itaque cum legere non possis, quantum habeas: satis est habere, quantum legas; ubi animus ad plura distrahitur, minor ad singula reperitur. Mens divisa non impetrat.

Secta bipartito cum mens discurrit utroque
Alterius vires subtrahit alter amor.

Multitudo librorum locupletat aream, depauperat rationem: fragilis est memoria et rerum turbae non sufficit,

Atque opere in longo fas est obrepere somnum.

Magna dementia est in tanta temporis egestate superfluitati librorum intendere, cum tempus breve sit et angustum, cum sit quasi punctum et fere puncto minus. Brevitati itaque insudantes meliora eligamus capitula et libros magis foecundos, sine quibus non potest coena duci practicae dispensationis; de quibus librum Antidotarii elegimus, ut secundum metricam rationem, quae memoriae conciliandae habilior est, laudes et virtutes omnium medicaminum secundum Antidotarii seriem exponamus, substramentum et materiam nostrae expositionis sumentes Glossas super Antidotarium a magistro Mathaeo Plateario editas constituentes. His decursis ad rem accedamus, et proposito operi, invocato divino auxilio, quo praetermisso nullum rite fundatur exordium, more debito insistamus.

---

40) *Scita* Ls.; *secta* π. — 50) *Secundum medicam* Ls., π; lego *sec. metricam.* — 54) Igitur Matthaeus Platearius, non Johannes commentatus est in Nicolai antidotarium, inde Ackermanni error emendandus (regim. Salern. p. 59, 60).

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Quae secreta diu noctis latuere sub umbra
Clausa, verecundi signo celata pudoris,
Gesta sub involucro mentis clarescere quaerunt,
Eruta de tenebris cupiunt sub luce videri,
Tecta patent, obscura nitent, scintillaque mentis
Fulgurat, accenditque novum fax ignea vatem,
De tepida concepta prius tenuique favilla
Jam large rutilos emittit lampadis ignes.
Provehitur seges in culmum, foecundaque multo
Ordine granorum canis albescit aristis,
Granaque prosiliunt studii concussa flagello.
Vinea turgescit botris, iam palmes adultus
Germinat, et sterili vindemia pendet in ulmo,
Musta fluunt multo praetorculata labore,
Jamque suis digesta latent abscondita cellis;
De quibus est nobis nimium summeque verendum,
Ne, quod caupones faciunt ut fallere possint,
Haec male corrumpat aquei mixtura liquoris.
Sed non verbosis cauponibus et male salsis
Sed magnis doctisque viris haec vina propino,
Quod fatuos magis infatuant, acuuntque peritos.
De testa prodit nucleus, praedulcia mellis
Dona favus profert, oleum largitur oliva,
Mitia conciso spirant opobalsama trunco,
Compresso distillat ab ubere lacteus humor,
Uva meri placidum fundit calcata liquorem,
Deque rudi, male composito, modicumque polito,
Mysticus erumpit verborum cortice sensus.
Inter Cirrhaeas Dea plus celebranda sorores
Parnassi biiugo nutrita cacumine montis,
Lauro nexa comas, vultus pallore decenti
Et facie macra famulam confessa Minervae,
Ex Helicone suo migrans in pectoris alti

3) *Involucris* μ; *involucro* π. — 19) *Male falsis* Ls.; *male salsis* π; quasi in malam partem astuti. — 27) *Mediumque* Ls.; *modicumque* π; cfr. v. 367. — 29) *Cyrrheas* π; *Cirreas* Ls.

Transmeat occultos non invitata recessus,
Intra conceptos ne mentis sopiat ignes
Languida segnities, promtis et pene paratis
Induciosa moras cupiens innectere rebus.
Tota referta Deo, Phoebaeo numine plena,
Pectoris esuriem sacro libamine pascit;
Irrigat arentes Heliconis flumine venas;
Torpsea Pierio succendit corda calore;
Prostratum, segnique diu torpore iacentem,
Erigit, et varium scribendi suscitat ausum.
Os reserat casti firmatum clave pudoris;
Quaeque magis sunt Francigenis consueta nocere
Provectumque negant, damnosa silentia damnat,
Et mutae frangit inimica repagula linguae.
Phoebaeam tangendo chelim, tendensque sonoras
Eloquii certo plectri moderamine chordas,
Et fidibus resonis modulamina blanda coaptans
Naturae decreta canit, legesque salutis
Per vocum numeros et metrica verba resolvit,
Quas nova vitalis designat pagina libri:
Qui quia perversos naturae destruit hostes
Et vitam renovat lapsam, vitamque tuetur,
Publica dispensans humanae commoda vitae,
Claro vitalis tituli clarescit honore.
    Vade liber felix. Nam cum provectior aetas
Jam tua sit, densisque habeas pubescere plumis
Dedecus esse potest puerili incumbere nido,
Et cunas colere balbis infantibus aptas:
I, cave ne titubes, firmo vestigia gressu
Dirige, cum rectis habeas procedere talis,
Et quae delicti praeco solet esse, pudoris
Nulla tibi teneros suffundat purpura vultus.
Quod tua si rubeat facies, non esse notetur
Criminis interpres: nam vel tinctura ruborem

---

41) *Tropsea* Ls.; *torpsea* π, quae vox nusquam occurrit, forsan legendum est *torpida*. — 42) *Prostratam* Ls.; *prostratum* π. — 47) *Muto* Ls.; *mutae* π. — 48) *Tangando* μ; *tungendo* π. *Tendesque* Ls.; *tendensque* π. — 59) *Tibi* pro *tua* legit Ackermann (regim. Salern. pag. 48). — *Blaesis alias balbis* π; *balbis* Ls. — 66) Facies, scilicet titulus minio pictus.

Hunc minii faciet, vel casti forma pudoris,
Quae leviter solet ingenuas depingere frontes.
Cum vitae leges, cum munimenta salutis
In gremio portes, magnae sacrista Minervae,
Aegris corporibus humili sparsurus hysopo
Vitales Heliconis aquas, tibi nulla repulsam
Afferet invidiae labes, quae mella veneno
Inficit, et Bacchi latices incrudat aceto,
Quae grani pulpam lolio fermentat et actum
Mente bona falsis maculis obfuscat honestum,
Incrustatque bonum, compagine iuncta decenti,
Verbaque frugiferi sensus condita sapore
Depretians, ea falsigraphis transfigit obelis,
Aut ea subridens subsannat naribus uncis.
Nam cum aliis infundat edax sua toxica livor,
Candida denigret, obfuscet lucida, tentet
Lenibus et planis rugas imponere rebus,
Dulcibus et sapidis miscens absinthia, nullos
Formidare potest eius tua pagina morsus.
Nam cum decalogi gestans mandata secundi
Sis legis vector, medicae capsarius artis,
Palladii custos, gazaeque auriga paternae,
Temperat invidiam, tibi defensacula ponet
Musandinus apex, quo tanquam sole nitenti
Et nitet et nituit illustris fama Salerni:
Cuius si fuerit resolutum funere corpus,
Spiritus exultat, et magni pectora Mauri
Tota replet: Maurus redimit damnumque rependit,
Prima quod in Petro passa est et perdidit aetas,
Qui tanquam nanus humeris colloque gigantis
Desuper incumbens ipso fortasse tuetur
Longius, et summo superaddit culmina monti.

---

82) *Edaux* μ; *edax* legit G. — 83) *Lurida* Ls.; *lucida* π. — 88) *Si legis rector* Ls., et ex eo Ackermann (regim. Salern. pag. 57); *sis legis vector* π. — 89) Nam cum (liber!) contineas praecepta salutifera, eiusdem fere dignitatis ut decalogus, legem medendi vehas, artem medicam et omnem thesaurum scientiae auctoris tui custodias etc. — 96) *Pedidit* π; *perdidit* Ls. In Petro i. e. per Petri Musandini mortem. — 99) *Superaddidit* Ls.; *superaddit* π.

O utinam Musandinus nunc viveret auctor!
Ille meos versus digno celebraret honore,
Ipse meis scriptis signum punctumque favoris
Imprimeret, placido legeret mea carmina vultu:
Et quod in irriguis illius creverat hortis,
Ipse meum sentiret olus, gustuque probaret
Ex proprio sale doctrinae traxisse saporem. —
Suppleat et Petri Maurus mihi damna reformet,
Pastor ovem, membrumque caput, famulumque patronus,
Doctor discipulum, noscat sua mater alumnum.
Vellem quod medicae doctor Platearius artis
Munere divino vitales carperet auras,
Gauderet metricis pedibus sua scripta ligari,
Et numeris parere meis. Nam copula talis
Et metrici ratio nexus confusa coërcent,
Quae vaga prosaico currunt dispendia campo.
Juncta pedum numeris, metricis arctata catenis
Verborum series magis est obnoxia menti.
Sed quae lege carens fluit et discincta vagatur,
Lethaeis raptatur aquis, caligine caeca
Volvitur, imperio mentis parere recusat.
Urso suum te concivem gaudebit adesse,
Strenuus ambiguos causarum solvere nodos,
Cuius ab ingenio nulla indecisa recedit
Quaestio, qui tantos rationum compluit imbres,
Quod solvit subitus aequaliter et meditatus.
Mente bona mea Castalius decreta Johannes
Suscipiat, quem, dum pueriles volveret annos,
Myrtum humilem Musandino sub praeside vidi.
Audio nunc ipsum summis contendere lauris,
Et sua nobilibus aequasse cacumina cedris.
Hoc physicae antistes, quos Aegidiana libellos
Sanctio produxit, digno Romoaldus honore

104) *Inriguis* π; *irriguis* Ls. — 110) *Platerius* Ls.; *Platearius* π. — 112) Sua scripta, i. e. Platearii glossae super antidotarium Nicolai Praepositi. — 114) *Vario nexus* Ls.; *ratio nexus* π. — 115) *Vago* Ls.; *vaga* π. — 118) *Disiuncta* Ls.; *discinctu* π. — 119) E memoria excedit. — 124) *Compluit* legit G. et Ls.; *9pl'it* μ; *compulit* π, quod minus bonum, cfr. lib. 3, vers. 118, 219 ubi *compluut.* — 125) *Qd' solvit subitas* μ; *subitus* mavult Gudius, vel *subitus aequ. et meditatas.*

Consecret et celebret, qui ne penetrabilis aurae
Solvatur radiis populo mirante per aestum
Obnubit caput et triplici domat astra galero:
In physica celebrem quem Justiniana favore
Divitis eloquii prudentia tempore longo
Detinuit, sed eum Romanae curia sedis
Nunc colit autorem physicae, vitaeque patronum.
Ipse novo faveat operi, nec Parisianas
Aestimet indignum physicam resonare Camoenas.
Nam logices ubi fons scaturit, ubi plenius artis
Excolitur ratio, sibi physica figere sedem
Gaudet, et ancillis non dedignatur adesse.
Qui trahit a docto nomen Salomone Mathaeus
Qui nitet eloquio, qui mentis acumine pollet,
Suscipiat placido Salomon mea carmina vultu,
Et se noscat in his: sua condimenta saporet,
Melque suum sugat, quod vasa novella propinant;
Quo Pessulanus nisi Mons autore niteret,
Jamdudum physicae lux eclipsata fuisset.
Qui vetulo canos profert de pectore sensus
Ricardus senior, quem plus aetate senili
Ars facit esse senem, meliusque senescere cogit,
Cui renovans corpus surgens ex arte senectus
Altera corporeae compensat damna senectae;
Sit iudex operis placidus, censorque benignus.
Et quos in cunis medicamine curat alendos,
Propositas artes dum primula combibit aetas,
Edoceat pueros his insudare libellis,
Ex quibus utilium claret sententia rerum,
Et metrici ratio nexus et forma loquendi.
Haec mea scripta legat et linguae verset in udo,

---

135) Triplici galero, scilicet pileo triplicis dignitatis, tanquam iurisconsultus, scholae medicae Salernitanae antistes et Archiepiscopus Salernitanus. — 137) *Divitiis* Ls.; *divitis* π. — 142) *Nisi plenius* π, Ls.; *ubi plenius* legit G., etiam Naudaeus (panegyr. de schol. med. Paris. p. 2.). — 144) Philosophicis disciplinis medicinae (iurisprudentiae et theologiae) ancillantibus ad mentem illius saeculi. — 149) *Suget* π; *sugat* Ls. — 156) *Altam corporeae* π; *altum* Ls.; legendum puto *altera*, ad vocem „senectus" in priori versiculo pertinens, cum in codicibus manuscriptis facile confundatur *altà* et *alta*.

Mentis in arcano memori sub clave sigillet
In medicas artes introducenda iuventus,
Huncque librum potius sibi noverit esse legendum,
Quam nugas et lascivos Nasonis amores.

AUREA ANTIDOTUM.

Aurea rheumaticis est auxiliaria causis,
Sufficiens gelidas capitis sedare querelas;
Quae quia multiplici virtute vigere probatur:
Fluxaque constringit, confortat, cruda resolvit,
Denique consumit, medicinae providus auctor
Hanc dare sub prima morbi novitate recuset.
Nam consumtivi resolutio praevia motus
Dum movet humores, discussus rheumatis auget
Haec, quae cum multo vigeat fortique calore
Conbibit aërias partes, depascit aquosas,
Terreus et grossus humor retinetur, et idem
Durior effectus morbum crudescere cogit.
Talia cessabunt symptomata, si leviorem,
Ut Musam aut Rubeam, prius obtuleris medicinam.
Corpore purgato primum, cum plethora certis
Panditur et claret signis, per phlebotomiam,
Vel laxativo medicamine, quale requirit
Causa mali, situs humoris, morbique facultas.
Quinta dies post phlebotomum, sed post medicinam
Tertia praesentis opiatae postulat usum.
Quae dandi melior, quae convenientior hora
Forsitan explores: Est haec magis hora salubris,
Quae vocat ad placidum nocti vicina soporem.
Claudit enim nocturna quies, totumque calorem

---

166) *Populus sibi* μ, π; *potius* legit G., quem sequitur Ls. — 172) *Autor* Ls.; *auctor* π. — 175) *Discursu* π; *discussus* Ls. — 176) Haec, scilicet Aurea. — 177) *Combibit aëreas* Ls.; *conb. aerias* π. — 179) Durior effectus, i. q. durior factus. — 181) *Multra* Ls.; *musam* G., et hanc Gudii lectionem confirmat Codex manuscriptus bibl. Paulinae Lipsiensis (n. 1213) qui continet Plátearii expositionem in Nicolai antidotarium. Musa et Rubea sunt compositiones medicae, quae infra (l. 3, v. 1031; l. 4, v. 352) tractantur. — 182) *Plectora* μ; *plethora* legit G. et Ls. — 186) Corpus ante porrigendam Auream purgandum est vel phlebotomia, vel medicamento laxativo; post phlebotomiam quinta die, sed post laxativum tertia die danda est Aurea.

Contrahit interius, cuius praesentia pepsin
Excitat et sumti vires medicaminis auget.
In febre cum tepida datur, in vino sine febre.
Aurea compescit lacrymas non sponte fluentes:
Thure sibi mixto, storace et mastice gummi,
Sub forma pilulae patientis subdita linguae,
Vel data cum vino, quo thus decoxeris ante.
Si calor, aut calidus humor, vel febris acumen,
Fumus vel nocuus suscepti acuminis ictus,
Intulerit fluxum, nullum feret Aurea fructum;
Quem si frigiditas aurae, vel frigidus humor,
Vel contentivae virtutis debilis actus,
Vel superexcedens et multa repletio membri,
Inferat, his causis curatio dicta medetur.
Hoc iterum collata modo conferre probatur. —
Dentibus afflictis, nimioque dolore gravatis,
Cum dolor ex fumo stomachi consurgit acuto,
Gingivis et temporibus superaddita, multum
Proderit huic causae, menthae commixta liquori.
At cum rheumaticus dentes male percutit humor,
Haec eadem medicina valet, si congrua causae
Dignaque praeveniat purgatio, sicut agendum
Postea dictabit doctrinae forma sequentis. —
Quae subitos agit insultus, motusque frequentat
Per momenta suos, epilepsiae domat omnem
Aurea nequitiam, cum vino sumta tepenti,
Cui dederit proprias decocta pionia vires,
Pulvere quae mixto sibi de radice priori,
Congruat ut pilulis substantia firma parandis,

---

192) *Pexim μ; pepsin* Gud. et Ls., i. e. concoctionem. — 194) Cum tepida scil. aqua. — 200) *Abdominis esus* G. et Ls., haec Gudii coniectura est, nam Cod. *μ* habet *auominis*, ita scriptum, ut litera *u* non iuxta sed supra literam *o* posita sit, unde meliori sensu legendum puto: *acuminis ictus*, scil. acrimoniae susceptae irritatio. — 201) *Fert* Ls.; *feret π*. — 203) *Auctus μ; actus* Gud., cfr. l. 3, v. 1157. — 204) *Repulsio π; repl'o μ; repletio* Gud. Ls. — 210) *Mentae π*, Ls. — 212) *Hanc* Ls.; *haec π*. — 215) *Insulsus μ; insultus* G. et Ls. — 216) *Epileusiae μ; epilepsiae* G. et Ls. — 219) De radice priori scil. pioniae, nam Platearius (expos. in Nicolaum, Venet. 1562 fol. f. 366 b) habet: „detur contra hanc passionem cum decoctione peoniae, vel, quod melius est, formentur pilulae de aurea cum pulvere peoniae.“

Praecavet incursus linguae submissa caducos.
　　Praevalet enormes maniae compescere motus,
Quando melancholicae nubis caligine laesa
A propriis virtus phantastica deviat actis:
Colatura dari debet medicaminis huius
Unica, particulis terrestribus inde remotis,
Quae plus faecis habent, et grossae materiei,
Cum calamo, in tenebris ne comperiatur ab aegro.
Nam si iudicio visus haec forte probaret,
Aeger abhorreret, et crederet esse venenum,
Turbaret mentem pavidi turbatio sensus,
Horroris vitio maniae crebresceret horror.
Aut ubi caedendum caput est in parte sinistra,
Ut cerebrum inficiens grossi nubecula fumi
Respirare queat, pro forma et schemate ferri
Sphaerica vel longa fiat quo sectio debet:
Haec superaptanda est capiti medicina supremo.
De rubeo felle maniam vel sanguine factam,
Aurea non reprimit, potius succendit et auget,
Pascit et exacuit rabiem causamque furoris.
At te morborum varias distinguere causas,
Quos eadem species communi claudit et arctat
Limite, signorum ratio discreta docebit,
Quam nunc concipio, pariturus tempore partus
Legitimo, cum iam plenis adoleverit annis,
Et rude nunc semen ex se producere fructus
Maturos poterit: sed adhuc mea messis in herba est.
　　Quos tussis violenta movet, pulmonis anheli
Temperat effrenes aequo moderamine pulsus,
Quos vel rheuma ciet, vel constrictorius algor,
Aut gelidus membri canalibus insitus humor.
Aurea non confert, si desiccatio tussim

---

223) *Quae* Ls.; *quando* π. — 224) Virtus phantastica i. q. imaginatio. — 225) Colatura i. q. decoctum. — 227) *Quando* Ls.; *quae* π. — 228) Cum calamo, scil. ope fistulae ex calamo scriptorio. — 233) In trepanatione capitis vulneri imponenda est Aurea. — 235) *Scemate* π; *schemate* Ls. — 239) *Succenset* Ls; *succendit* π. — 245) *Agnis* μ; *annis* Gud. et Ls. — 247) Promittit Aegidius librum de signis morborum, qui adhuc MS. latet; cfr. Christoph Gottlieb v. Murr Journal zur Kunstgeschichte IV. p. 104. — 250) Quos scil. pulsus.

Provocet, aut humor calidus, vel massa tumoris
Aut calor aut durae compactio materiei.
Terrea materies cruda et compacta probatur,
Quando, quod exspuitur, spissum est nimiumque cohaerens
Viscosum, modicum, vix a pulmone revulsum,
Cuius difficilis proiectio tarda resolvi,
Thoracem male concutiens gutturque fatigans.
His tussis descripta notis medicaminis huius
Obsequium refugit, donec crudore remoto
Coctior effectus fiat resolubilis humor,
Et natura vel artis opus digesserit illum.
Nam, dum causa mali firma compage cohaeret
Inviscata loco patienti, durior ipsa
Redditur antidoti nimis solidata calore:
Unde fit, ut facilis non sit curatio morbi.
Postulat ergo prius regio thoracis inungi
Mollibus unguentis clausos in pectore chymos,
Quae laxare queant et quae sunt cruda resolvant.
Libera materiam digestam sputa figurant,
Quae leviter proiecta levant minuuntque dolorem.
Ut tibi claruerint factae signacula pepsis:
Aurea tunc demum mixto sibi pulvere gummi
Per pilulas divisa, fabae maioris habentes
Effigiem; donec fuerit resoluta calore,
Debet in ore diu linguae submissa teneri.
Rheumaticae tussi melius sic sumta medetur,
Vimque suam cerebro conterminii ratione
Liberius mandat, de cuius fonte fluentes
Rheumaticos rivos opii virtute coërcet,
Per species calidas humores siccat aquosos,
Membraque per gummi respiratoria lenit,
Ipsaque confortat, ut onus, quo pressa tenentur,
Promtius expellant sic libera, tusse soluta. —
Subvenit haec phthisicis in primo limine morbi,
Sed tunc praecipue confert, cum rheumatis acris
Tramite declivi pulmonis ad ostia pulsat

---

269) *Grumos* Gud. et Ls.; *chimos* π. — 273) *Pexis* μ. — 287) *Tum* rheumatis μ; *cum* rheumatis Gud. Ls.

Stilla nocens: sed causa magis provecta nocebit.
Quos gravis offendit attractio flatilis aurae
Curat anhelosos, quibus algidus humor abundat,
Vitalis latebrosa replens spiracula membri.
Hic modus, hic dandi sit forma: mero resolutam,
Quo gentiana fuerit decocta, calori
Aëris exponas, donec solidata liquore
Combibito pilulis consentiat effigiandis,
Vel sibi quam dederat specierum fractio prima,
Ad propriam redeat exhausto humore figuram,
Et siccata magis fiat de pulvere pulvis.
In nebulis pilulae dentur, sed pulvis in ovo.
Cardiacos data cum vino, roseoque liquore,
Suscitat et recreat, si caute iungitur illi
Anthophilus, borago, thymus, lignum pretiosum,
Quod Nili caput ignotum transmittit ad Indos,
Blacta Bysantia, nuxque myristica, macis odora,
Ossea durities, quam cordis parte sinistra
In se cervus habet, quasi cartilaginis instar.
Cum per anagogen geniali sede relicta
Exulat a venis motus symptomate sanguis,
Et fluit insolitae regionis tramite, confert
Aurea: sed varias opus est discernere causas.
Sanguineum plerumque solent inducere fluxum:
Ariditas, frigus, calor, impletura, putredo,
Rheuma, labor, saltus, clamor, contusio, casus.
Si per anastomosim sanguis fundatur ab ore:
Aurea cum succo roseo, sibi mastice mixto,
Suscepta in pilulis, patientis in ore tenendis,
Purificat, siccat, solidat, fluxumque refraenat;

---

292) Vitale membrum i. e. pulmo, quia functioni vitali inservit. — 293) *Danda fit* Ls.; *dandi sit* π. — 300) Nebula i. q. panis subtilissimus, forsan i. q. Oblate vulgo audit; cfr. (Adelung) Gloss. med. et inf. lat. h. v. — 304) *Humus* Ls.; *thimus* π. — 305) De Blacta s. Blatta Bysantia conferatur Leon. Fuchsius ad Nicol. Myrepsum (Basil. 1549, f.) pag. 3, qui hanc Blattam ait esse os anterius narium purpurae, non vero Onyx Dioscoridis, II, 8; cfr. Matthiol. ad hunc locum. — 308) Si sanguis sedem naturalem deserit vi morbi motus et per insolitas vias fluit, i. e. si profluvium sanguinis praeter naturam oritur.

At fluxum algoris cum vino sumta coërcet.
Si morbum calor intulerit, vel sanguis abundans
Vasaque distendens, vel desiccatio venas
Attenuans, nimiusve labor, vel rheuma, vel ictus,
Ars iubet his causis alias impendere curas.
Apposito sibi castoreo, cum caulis agrestis
Semine, nasturti pariter sibi pulvere mixto,
Si clauso pilulata diu teneatur in ore,
Expedit offensam linguae, viresque loquelae
Liberat et redimit a servitio paralysis.
Haec eupatorii succo resoluta, vel herbae,
Quae trahit ex ipso paralysis nomina morbo,
Sumta per os, membris distantibus atque remotis,
Segnibus ad motum, sensus torpore gravatis,
Restituit motus regimen, sensusque vigorem.
Expedit, ut laesae praecedat inunctio partis,
Mollia praeveniant cataplasmata, cum quibus humor
Rheumaticus nervis firma compage cohaerens
Mollior effectus spargatur et attenuetur.
Sed quibus est aptanda locis medicina requiras,
Et bene discutias et acutae indagine mentis
Providus explores, ne si fortasse liganda est
Occiduo capiti, spinae, collo, faciei,
Hanc male praesumas digitis apponere lapsis,
Saepius aufertur digitorum passio, dorsi
Ossibus apposito medicamine, quod Galienus
In libro, quem de membris patientibus egit,
Multis mirandum certa ratione probavit.
Fortius expugnat membri medicina dolorem,
Juncta locis, ubi prima mali fundatur origo,
Materiae radix ubi pullulat, unde remotis
Partibus accedit taciti confusio morbi.
Quando in nervorum fundatur origine morbus,

---

319) Hunc versum omisit Ls., habet π. Fluxus algoris i. e. profluvium sanguinis a frigida causa. — 320) *Calor* omis. Ls., hab. π. — 327) *Offm̄* μ; *offensam* π; *officium* suspicatur G., recepit Ls. — 329) *Empatorii* π; *eupatorii* G., Ls. — 333) *Met9* μ; *motus* G., Ls. — 345) Galenus in libro de locis affectis l. 1. cap. 6. l. 3. c. 14. ed. Kühn, Tom. VIII, p. 56 et p. 208, 213. — 350) *Membri* Ls.; *morbi* π.

Quod facies per mollitiem laxata fatetur,
Aurea musceleo resoluta, cyclamine frixa,
Ad caput occiduum debet collumque fricari,
Obsequio manuum membris superuncta gravatis.
Congrua muscelei retinens consortia multum
Subvenit haec eadem renum laterumque dolori,
Quem creat aut algor solus vel frigidus humor.
Si ventosa malum vis inferat, et sibi demto
Respirandi aditu laterum conclusa cavernis,
Acta vago motu, pulset penetralia cordis:
Aurea mixta mero detur sub vespere sero,
Cum quo feniculum, milium solis, vel anethum
Coxeris, ac anisum, saxifraga, petrosilum.
Sic data congestis vesicam purgat arenis,
Si nulla affuerit opii mixtura vel auri,
Et modicum sit balsameo ditata liquore,
Quae duce syringa virgae transfusa virili
Musceleo vel nardino sociata liquori
Frangit et elimat lapides, penitusque resolvit.
Corpore purgato data cum tepida patienti,
Tempore quod geminis insultum praevenit horis,
Quassat et elidit triteos, quos ventre creatus
Mixturae vitio producit degener humor,
Veras quartanas excludit et amphimerinas;
In febre quartana, nisi tertia sive secunda
Legitimo fuerit purgatio facta tenore,
Non valet antidoti nec quicquam proficit usus;
Vendicat eius opem lux tertia post medicinam.
Cum calida dabis antidotum si ferveat aestas,
Cum vino calido bruma dominante propines,
Haec opio sibi subtracto, ne forsitan actus
Degener, et causae contrarius inde sequatur,
Neve solutivas rapiat constrictio leges.

---

362) *Mora* Ls.; *mero* π. — 363) *Anetum* π, Ls. — 366) Si in praeparatione Aureae omittitur opium et aurum. — 367) *Medicum* Ls.; *modicum* π. Balsameus liquor i. q. balsamus. — 373) Triteos i. e. febres tertianas. — 375) *Aprimerinas* Ls.; lego *amphimerinas* scil. febres; febris amphimerina est quotidiana. — 380) *Dabit* π, Ls.; lego *dabis*.

Cum succo rutae agrestis subiecta monetae
Frigoris excessu muliebria clausa resolvit,
Et matricales cellas, quas humor aquosus
Lubricat, et nimio reddit marcore palustres,
Mundat legitimis faciens conceptibus aptas. —
Cum lis versatur de rheumate: pulvere thuris
Apposito detur, opio non inde remoto. —
Quae cum castorei vino potata futuros
Pestis apoplecticae reprimit sedatque tumultus;
Sed praesente malo morbique instante procella,
Dentibus ex cuneo reseratis, vertice prono,
Proderit ex illa linguam persaepe fricari.
    Quos dolor affligit colicus, cum rheuma procellans
Infima phlegmatico ferit intestina flagello,
Quod tibi spumosae monstrat subductio formae:
Aurea cum vino thuris potata iuvabit.
At cum intestinis viscosus et algidus humor
Inseritur colici faciens discrimina morbi,
Mollibus unguentis confert postrema fricari,
Post infusa iuvat decoctio mercurialis,
Furfuris et malvae, si cum sale mel et olivum
Miscueris. Sed opus concludit et omnia complet
Mixta mero tentoque liquore et faece relicta
Aurea per calamum membris iniecta pudendis,
Finibus extremis aequo libramine distans
Fit liquor applaudens nervis sub pace teporis,
Ne vel frigiditas hos mordeat aut calor urat.
De gelidis et viscosis humoribus ortum
Partibus occiduis solvit submissa tenasmon.
    Ex sibi diversis componitur Aurea rebus,
Quas variat diversa crasis, substantia dispar,
Virtus dissimilis, numerus, libratio distans. —

385) Moneta i. q. uterus, cfr. Urin. v. 170. — 395) Dentibus per vim inserto cuneo reseratis, si in insultu apoplectico trismus os claudit. — 399) Alvi deiectio spumosa. — 403) *Fucari π*, Ls.; lego *fricari*. — 404) Clyster ex decoctione herbae mercurialis etc. — 407) *Demioque* Ls.; *tentoque π*, i. e. retentoque: Aurea vino misceatur, mixtura coletur ut faeces in colatorio relinquantur, liquor colatus retineatur et usui servetur. — 413) Tenasmon i. e. tenesmum. — 416) *Numeris* G. Ls.; *nūs μ*.

Ponderis examen variat, libraeque tenorem
Appendit ratio causis distincta quaternis,
Ex quibus octo fluunt causae in contraria sparsis:
Virtus, debilitas; violentia, pigra remissi
Actus segnities; numerus maior specierum,
Sive minor, quas consimili ligat unio formae;
Vel quia compositum magis aut minus indiget una,
Ut proprium melius acquirat et impetret actum. —
Huic praebet stabilem spatium lustrale vigorem.
Traditur a medicis eius dosis uncia semis,
Quam medici veteres olim moderare solebant
Sub modicae nucis effigie, quia pulveris illi
Copia maior erat, minimum cum mellis haberet.
Nunc mutata dosin variat lex conficiendi.

ADRIANUM ANTIDOTUM.

Curas quartanum patienti dans Adrianum;
Morsus reptilium sanas, reprimisque venenum.
Motum conciliat nervis, sensumque reformat,
Curat hemicraneam, paedicon fugat et scotomiam,
Rheumata compescit, vesicae scandala solvit,
Subvenit innumeris de frigiditate querelis. —
Masticis in vino decoctio facta soluto
Hoc simul antidoto stomachi potata dolorem
Solvit et excludit, quem frigida causa creavit.
Subvenit huic causae specialiter ex Adriano

---

417) Quantitas diversa singulorum, quae Auream vel aliud medicamentum compositum ingrediuntur, dependet a quatuor causarum generibus seu octo causis, scilicet: I. virtus speciei medicamentosa maior vel minor, II. acrimonia vel hebetudo, III. numerus maior vel minor specierum, quae simul compositum quoddam ingrediuntur, IIII. speciei alicuius minor vel maior necessitas ad consequendum effectum medicamenti compositi. Cfr. Platearii expos. in Nicolaum, Ven. 1562, fol. f. 367 a. — 418) *Caternis* μ: *quaternis* G. Ls. — 425) Durare potest Aurea per quinquennium. — 428) Nucis avellanae dosin habet Nicol. Myreps. edit. Fuchsii, Basil. 1549 fol. sect. 1. cap. 1. pag. 1.; „detur in modum avellanae" Manl. de Bosco luminare maius, Lugd. 1536, fol. f. 8 a. Platearius (expos. in Nicol. f. 370 b) habet: „detur in modum avellanae eunti dormitum;" editio Nicolai Praepositi Lugdunensis (1536, fol.), folio xxij a omittit dosin. — 434) Paedicos scil. morbus, i. q. epilepsia, quia pueros saepius invadit; vid. Matthaei Sylvatici pandect. medic., edit. Venet. 1507, fol. f. 149 a. — 437) *Masticus* μ; *masticis* G. Ls. — 438) *Hoc simili* π, Ls.; lego *simul.*

Et nucis ex oleo factum cataplasma, dolenti
Appositum stomacho, sive hunc morbum paralysis
Inferat, aut algor, vel rheuma, vel algidus humor.
Quando melancholicis ratio fuscata tenebris
Eclipsim patitur, erratque logistica virtus:
Hoc sero dabis antidotum vino resolutum,
Quo costum vel castoreum sit cum sene coctum
Eripit accessus eadem mixtura caducos:
Naribus infusa, quo nondum tempore morbus
Bella movet, vel quando suae furit impetus irae.
Vim cephalalgiae cui frigida suggerit ortum
Materies, vel frigiditas quam sola creavit,
Cum vino bibitum valide domat hoc Adrianum,
Cum quo si costum, vel ruta domestica, vel nux
Bullierit muscata diu, modus hic medicandi
Aptior, et causae magis utilis esse probatur.
Ex hoc antidoto rutae cum iure soluto
Expediet caput occiduum frontemque perungi,
Et quae mobilibus pulsantur tempora venis.
Sed de seminibus calidae virtutis et herbis,
Furfureisque mero coctis oleoque sacellis
Ante vaporetur caput et calidis foveatur.
Quos infrig'dati movet indignatio ventris
Cum vino sumtum confortat eos Adrianum,
Anthophilus, costum, mastix ubi cocta fuerunt.
Curat idem scotosim cerebri de rheumate natam
Cum vino thuris; sed si scotomia vigorem
Traxerit a stomacho, tunc vino thure remoto
Confortativum stomachi potes addere costum.
Appositum ventri factum cataplasma iuvabit
Ex hoc antidoto, muscelinoque liquore,
Anthophilis, nuce muscata cum pulvere thuris.
Cum succo bibitum, quem salvia fundit agrestis,
Hepaticos lapsus domat ex algore creatos;

---

447) *Sit* omitt. Ls., habet Gud. — 451) *Cephalalgiae* Ls.; *cephalargiae* π. — 457) Rutae iure i. e. rutae succo. — 461) Furfureis sacellis, forsan i. q. furf. saccellis, seu sacculis furfure repletis. — 463) Infrigdati per syncopen pro infrigidati. — 469) *Confortatm̄ μ*; *confortativum* G. — 470) *Miscellinoque* Ls.; *miscelinoque* π; *muscelinoque* G., i. q. Muscelaeo.

De quibus hydropisis si proventura timetur:
Antidoto sibi commixto decoctio detur
Ex apio, sparago, marathro, brusco, petrosillo. —
In pilulis Adriana dosis sibi pulvere thuris
Et myrrhe trocleten mistum suscepta medetur
His, quibus est hepatis sanies collecta cavernis,
Quam male curati dimisit massa tumoris. —
Ante mali motus primos, dum morbus inermis,
Cum tepida sumtum typicis accessibus obstat.
 Cui qui commixtum vel apozema castoreatum
Vel rutae succum biberit vel partibus imis
Intulerit, poterit colicum subvertere morbum.
Capparis in vino decoctio vel tamarisci,
Cui mixtum fuerit Adrianum, splene gravatos
Liberat. Antidoto nephresis curatur eodem:
Si vino, cum quo dissolvitur, ista coquantur:
Saxifragae radix, filipendula, granaque solis,
Fu, lithosperma, meu, cyperus, sanguisque caprinus,
Alexandrinum cum siseleos oposcissum;
Praeveniat facta purgatio de Benedicta. —
Ex gelidis chymis eadem medicina creatam
Lithiasin curat; sed qui dabit ex Adriano
Et lyncis lapide pilulas hircique cruore
Ac hederae gummi, miscens opobalsama, morbi
Plenius expediet curam, causamque repellet.
Ex oleo puro, vel ubi decoxeris ante
Non paucos cimices, foveatur virga virilis

---

478) *Ubi pulvere thuris est myrrhe troglytes mixtum* legit Gudius; nostram lectionem habet μ et Ls., in qua nil mutandum videtur, cum saepius apud Aegidium haec loquendi formula occurrat, minus placet vox *mistum*, pro qua forsan legas *mixto* vel *mixtis*. De voce *trocleten* vide indicem medicamentorum sub voce myrrha. — 483) Typicis accessibus, scilicet febris intermittentis. — 484) *Apocima* π, Ls., i. q. apozema, decoctum. — 489) *Phrenesis* π, Ls.; lego *nephresis*, nam medicamenta hic proposita sunt e genere nephriticorum, cfr. lib. 1, v. 365; l. 2, v. 378, 536; l. 3, v. 255, 954 etc. Etiam Platearius ad hunc locum loquitur de nephreticis medicamentis. — 492) *Fulithospermarnen, ciperus* π; *Fulittiros permarnen ciperus* Ls.; cum hae lectiones nullum omnino sensum praeberent, nova lectio a nobis tentanda erat, quam in textum receptam forsan inde probes, quod fu, lithosperma et meu a medicis antiquis inter diuretica medicamina nominantur. — 497) *Lincis* π; *lyncis* Ls. — 498) *Hederae gūi* μ; *h. gummi* π. — 501) *Cimphes* μ, *cimices* G.; conferantur Dioscorides mat. med. II. 36 et Matthiolus ad hunc locum.

In vitreo vase formam signante priapi.
Hoc quia fomento laxatur virga, coarctans
Causa remollitur, via clausa prius reseratur.
Proderit et virgae cimices imponere vivos,
Ut cimicis morsu nervo patiente titillos
Concomitans sensum vis expulsiva iuvetur.
Sed cataplasmari pecten partesque propinquas
Convenit ex oleo cimicum, cum quo resolutum
Hoc erit antidotum, cuius colatio virgae
Missa per argale lapidem dissolvit et arctas
Enfraxes aperit et aquosa superflua fundit.
Coctus aqua salsa senecio, mercurialis,
Herbaque muralis, paritaria, stranguriosos
Pectinibus vice fomenti superaddita curat,
Et super has herbas factum encathisma iuvabit. —
Tempore septenni iuvat integra vis Adriani.

ATHANASIA ANTIDOTUM.

Mortis iura premit Athanasia, fata retundit,
Sistit anagogen, vomitum, fluxum, diabeten,
Claudit anastomosim, rixin simul et diabrosim,
Profluvium vulvae, stillamina faucis et uvae,
Atque gonorrhoeam compescit, rheumata stringit.
Pentaphilon succo solatrique soluta, vel herbae
Sanguineae, nec non plantagine, rubrificato,
Sanguineo lapide pressim cum cote fricato,
Illita temporibus geminis, infusaque nari
Sanguineum valide cohibet de nare fluorem. —
Haec eadem data cum succo plantaginis arcet
Sanguineum fluxum, quem nutritiva resolvunt;

---

503) *Coartans* π. — 506) *Titillos* π; *titilles* legit G. — 508) *Cataplasmati* π, Ls.; lego *cataplasmari*, quae vox apud Caelium Aurelianum et alibi occurrit. — 511) Argale i. q. algale s. syringa. *Artas* π. — 515) *Vini* Ls.; *vice* π. — 516) *Cacatisma* Ls.; *eucatisma* π; lego *encathisma*, i. q. semicupium. — 517) *Iugi* μ; *iuvat* Ls. — 519) Anagoge i. q. profluvium sanguinis per superiora. — 520) Tria vitia vasorum et causae profluvii sanguinei. — 524) *Rubrifricato* π. — 525) Succus pentaphylli, solatri, herbae sanguineae vel plantaginis, cum lapide haematite teri debet in cote, donec rubescat, et cum hoc liquore miscenda est Athanasia. — 526) *Gemmis* μ, π; *geminis* G. — 529) Nutritiva scil. organa, instrumenta nutritionis, quae haemoptysin faciunt et haematemesin.

Cum per anatropam, venarum carcere rupto,
Summa petit sanguis fervoris acumine motus,
De pulmone fluens, vel ab hepate, vel regione
Pectoris erumpens, vel cum diabrosis eundem
Elicit a venis; Athanasia mixta liquori,
Quem contrita facit polygonia vel cicorea,
Sanguineum potata valet compescere fluxum.
Sed quia pulmonis vehemens constrictio tussim
Incitat, et venas aperit, fluxumque cruoris
Fortius exacuit, consultius hoc patienti
Antidotum dederis, si lenitiva propines
Penidias, amylum, ptisanam, gummi, dragagantum:
Lenia cum dantur prius, et postrema sequuntur,
Constrictiva trahit virtus moderamen ab illis,
Ut iam non alios habeat praesumere motus,
Sed contenta suis propria se lege tuetur.
Non aperit venas, media nec tusse resolvit,
Nec facit ad fluxum sua quem natura coërcet. —
Intestinorum vitio cum sanguis ab imo
Profluit, haec cum clysteri transmissa deorsum
Compescit fluxum succo resoluta priori.
Cui si mixtus erit bolus sanguisque draconis,
Galla, rosae, sentix, balaustia, psidia, mastix,
Mintua, consolidae radix, albumen, acetum:
Utile conficies ex his cataplasma, quod aegris
Desuper aptatum membris completius omnem
Sanguinei poterit fluxus absolvere curam.

Menstrua constringit, quae vis furiosa caloris
Exagitat, si cum plantagine mixta bibatur,
Vel foveatur aqua matrix, ubi cocta genesta,
Cui se miscuerit Athanasia pondere librae,
Restricto ad sextam certo moderamine partem.
Si manare facit muliebria sanguis abundans
Cum nimis exundet nequiens in vase teneri:
Nec talem cohibere potest Athanasia fluxum,

---

545) *Sed* Ls.; *se* π. — 547) *Cohaeret* Ls.; *cohercet* π. — 553) *Mintua* π, Ls.; forsan *mirtus?* — 563) *Vasa* Ls.; *vase* π.

Quem de saphenis celebrata minutio sedat. —
Foemina, cui matrix ventoso plena vapore
Compresso stomacho vitalia membra coërcet,
Ut respirandi iam libertate relicta
Syncopis insurgat et suffocatio fiat:
Ex hoc apposito prunis medicamine nares
Fumiget, ut tractae nervos matricis odore
Concutiens fumus hanc cogat ad inferiorem
Declinare locum propriaque in sede teneri:
Non infundatur vulvae, nec subiiciatur,
Nec sua matricem nubes fumosa vaporet:
Ex hoc natura male contristata vaporis
Horrorem fugiens, tristi turbata sapore,
Fortius alta petens, stationis iure relicto,
Pressura stabili vitalia membra gravaret.
 Fraena gonorrhoeae ponit, quam lubricus humor
Vasaque lenificans generat, vel semen aquosum
Vel contentiva vis debilis et retinendum
Non cohibere valens, genitalibus addita membris
Admixto sibi castoreo cum pulvere myrrhae,
Aut herbae succo, quem virtus styptica morbo
Conciliat, vel cum vino potetur agresti
Et satis austero, cui bdellia, castoreumque,
Mastix cum myrrha dederint decocta vigorem.
 Cum roseo vel coelesti potata liquore
Tipsicon excludit, quae cum sit nata caloris,
Frigoris interpres vultu depingitur albo
Et medicos errare facit, nam decolor eius
Urinae effigies causae praenubilat ortum.
Huic semperviva, rosa, sandalus atque morella,
Arnoglossa, rubus, pariter sociata decentis

---

565) Minutio i. q. venaesectio. — 571) *Tracti π; tractae* Ls.; forsan *tactae* vel *tractus* vel *tetro;* nam codex μ habet siglam non facile extricandam, quam Gudius transscripsit. — 574) Neque iniectio vaginalis, neque pessus neque fumigatio uterina fiat ex Athanasia, quod alii male suaserant. — 582) *Contemptiva π.* — 583) Athanasia cum castoreo, myrrha et succo herbae cuiusdam stypticae in forma emplastri apponatur pectini, vel bibatur cum vino etc. — 589) Cum aqua rosea vel pluviali. — 590) Tipsicon i. q. diabeten; rectius dipsacon, a *δίψα*, sitis. Diabetes albam monstrat urinam, quamvis causa morbi sit calor. — 595) Deest apud Ls.; habet eum π.

Foedera mixturae subeant, ut sicca minutos
Mixturae mandent cineres et succida succos.
Temperat urinae fluxum confectio talis,
Sub forma emplastri calefactis addita membris.
Lamina de plumbo distincta foramine multo,
Ex oleo roseo lumbis aptata perunctis:
Haud modicum solet huic causae praestare iuvamen.
Masticis hausto mero, vel cum succo turionum
Senticis, haec eadem fertur praestare salubrem
Coeliacis curam, calidus quos humor abundans
Profluvio ventris, nimioque dolore molestat. —
De calido colicos vexatos rheumate curat,
Si prius infusi solvatur aqua dragaganti.
Si colicus de viscoso sit rheumate morbus,
Consequitur nullum talis medicina vigorem. —
In pilulis data confectis cum pulvere boli,
Masticis, ac herbae, cui consolidatio nomen
Praebet consolidae, dysentericis medicatur,
Quos intestini vexat scissura supremi,
Aut elixetur radix anagallica, cuius
Misceat haec medicina sibi potata liquorem.
Si dysenteriae radix fundetur in imis
Visceribus, ptisana, dictoque liquore soluta,
Haec eadem haud modicum clysterizata iuvabit.
Ars iubet et sollers poscit doctrina medendi,
Quod cum citrinis purgatio myrobalanis
Praeveniat, nocuos mundans a corpore chymos. —
Quae data cum rosea vel aqua de nubibus orta,
In qua mala suos coxerunt Punica flores,
Cruda lienterici cohibet stillamina fluxus,
Lubricus et lenis cui causam suggerit humor,
Cuius Metridatus celebris magis et specialis,
Plus quoque digna fide curatio creditur esse.
Antidoti medicina viam praecurrere debet
Fida lienteriae, quam dudum longa probavit,

---

596) Ita misceantur, ut siccae res pulverizentur et succidorum succus exprimatur. — 603) *Turionis* Ls.; *turioñ* π. — 605) *Ciliacis* π, i. q. coeliacis Graecorum *οι* per i expresso. — 617) *Dysenteria* Ls.; *dysenteriae* π. — 618) *Ptisano* π. — 621) *Mirabolanis* π.

Et morbi propriam vetus experientia fecit.
Quodsi forte roges, quae sit medicaminis huius
Materies, illi kebulos dant myrobalani,
Fungum abies, filicem quercus, coloquinthida pulpam,
Feniculus marathrum; tibi formam conficiendi
Usus et officium tribuit, redditque magistrum.
Ex dysenteria, villos rodiente, cicatrix
Nata lienteriae causam vel apostasis infert,
Quae nulla dicti medicaminis arte iuvatur!
Ante statum, prope rheumatici primordia motus,
Sanat apostema, quod corporis interiora
Possidet, infuso si sit data cum dragaganto:
Exterius natum reprimit, fluxumque coërcet,
Laeso sub specie cataplasmatis addita membro,
Cum sempervivae succo resoluta, vel illo,
Quem distincta facit centum polygonia nodis.
In pilulis eadem si commixto sibi thure
Detur, apostaseos suspendit rheuma futurae:
Purgat praeteritae vitium cum pulvere myrrhae.
Cum modico mellis oleique recepta liquore
Interius sumti delet nocumenta veneni:
Melle lavat, colat, detergit, noxia mundat,
Provocat ex oleo vomitum, purgatque vomendo,
Ipsaque vi propria munit vitalia membra.
Cui gentianam miscens et aristolochiam
Jus quoque diptamni, si post vomitum patienti
Hanc dederis sero non pro vomitu faciendo,
Interius sumto demis sua iura veneno.
Nam de reliquiis virus, quod forsan inhaesit
Visceribus, vis antidoti consumit et ipsum
Absorbet penitus, ex hoc bis nacta vigorem.
Haec mixtura iuvat laesis superaddita membris,
Viperei quae dura trahunt contagia virus.

---

632) Medicamentum lienteriae proprium constat a myrobalanis chebulis, ungo abietis, filice quercus, pulpa colocynthidis et semine feniculi. — 633) *Kelos* π, Ls.; lego *kebulos* s. *chebulos*. — 634) *Quoloquintida* π. — 637) *Rodiente* vel *radiente* π. — 640) *Rematici* π; *rheumatici* legit G. — 643) *Cohercet* π. — 653) *Vomento* π, Ls. — 654) *In* Ls.; *vi* π. — 655) *Aristologium* π. — 661) *Penitus ex haec bis* π; *ex hoc his* Ls.

Dentibus afflictis, oculis, capitisque dolori,
Subvenit, et lacrymis simili formata tenore,
Quem tenet in paribus quando datur Aurea causis. —
Auribus oppressis, nimioque dolore gravatis,
Cum sempervivae succo instillata medetur. —
Cum caricis, uvis passis, dulcique caleno
Gargarizet eam, gelido qui rheumate fauces
Compressas habet, et tumidas, nimiumque dolentes:
Ex quibus apponi factum cataplasma iuvabit. —
Stomaticis, quorum pexim distemperat algor,
Cum masticino confert potata Lyaeo.
Hic modus, hic usus, haec lex, haec forma medendi
Antiquo celebrem servavit tempore cursum;
Nam tunc ex calidis constans Athanasia rebus
Constanter poterat gelidis occurrere causis.
Frigida cum calidis nunc praedominentur in illa,
Hunc curandi usum fugiunt reprobantque moderni. —
Ex hac commixtis pariter sibi mastice, costo,
Olibano, cera, factum cataplasma soluto
Appositum stomacho catatropam fraenat et ipsum
Enormis vomitus laxatas frangit habenas. —
Terminus est eius finalis tertius annus. —

ACHARISTUM ANTIDOTUM.

Asthmaticos cantus Acharisti potio sedat,
Diluit offensas pulmonis et arteriarum
Spurcitiem mundat, tussim domat, organa vocis
Purificat, vocem reparat, pectusque relaxat,
Discutit exortum de frigiditate catarrhum
Et capitis causas gelido de rheumate natas.
Sub pilulae forma linguae cum pulvere thuris
Suppositum vel cum vino potabitur, in quo
Coxeris olibanum, cerebri quod rheuma coërcet. —
Pectoris offensas, vitalis scandala membri

---

666) Uti praeceptum est in capite de Aurea, v. 195 ... 214. — 669) *Nervis passis* π, Ls.; lego *uvis.* — 673) *Stomaticos* Ls.; *stomaticis* π. — 675) *Haec lex forma* Ls.; *haec lex, haec forma* π. — 683) *Catacropam* π, Ls. — 684) *Habenas* π, Ls.; *h'enas* μ. — 685) *Terminus et* π. — 686) *Asmaticos* π.

De gelidis et phlegmaticis surgentia chymis
Placat et absolvit, eius si mulsa bibatur,
Qua prius excocta fuerint et ab igne probata:
Passulus, iringus, liquiricia, ficus, hysopus.
Fertur Acharistum sine munere: nam suus actus
Sic celer et properus et praematurus habetur,
Sic quoque praecelerat optatae dona salutis
Quod medicum donis et munere privat honoris,
Et facit ingratum loculis discedere laxis.
Raptim facta salus nullo reparatur honore:
De constante nihil quoniam constare videtur,
Actio naturae censetur, non medicinae:
Depretiat pretium meriti, medicique favorem
Fuscat et ipsius iustum degratiat actum.
Gressibus accedens tardis, multoque redemta
Vitae supplicio, nimioque excussa dolore
Lenta salus, quoniam naturae subvenientis
Creditur officio medicinae facta salubris,
Gratior esse solet medico, magis obligat aegrum,
Impraegnatque manum donis et nomen honore.
Inde fit, ut quod in his magis appretiabile constat,
Hoc minus appretiet fatui sententia vulgi. —
Durat Acharistum tribus annis inviolatum.

ALCHANCALON ANTIDOTUM.

Cum rheubarbaricis scrupulis tepidoque liquore
Simplicibus triteis Alchancalon et geminatis
Confert, dyscrasiae febrilis caumata solvit:
Ardores hepatis fugat, ictericosque colores,
Ex fumo cholerae caput ascendente dolorem
Amputat, et scotosim curat, visumque reformat.
Quos, calida suadente crasi calidaque diaeta,
Aestivi stimulo febris irritata caloris
Temporibus calidis solito de more salutat,
Providus absolvit huius medicaminis usus

---

696) *Fleumaticis* π. — 699) *Yringus* π, Ls. — 701) *Si celer* Ls.; *sic* π. — 719) *Reubarbaricis* π. — 721) *Febrilia* putat G.; *febrilis* π; *febril'* μ.

Praeveniens, tollitque mali nocumenta futuri,
Et febris ad corpus socialem rumpit amorem. —
Confectum cum melle duobus militat annis;
Uno se tantum regit accedente syrupo.

(H)*AEMAGOGUM ANTIDOTUM.*

Traxit Haemagogum proprium de sanguine nomen,
Ad causas quia praecipue spectat muliebres:
Et quod matricis iniuria longa negavit,
Sanguine viscoso clausis a frigore venis,
Sanguineum movet et cogit manare tributum.
Matricis pecus interimit pellitque peremtum.
Quae bene purgari nequeunt post tempora partus,
Menstrua purificat, et noxia cuncta rescindit,
Constrictasque prius matricis laxat habenas.
Potatum movet urinam, dissolvit arenam,
Stranguriam sanat, lapidis fragmenta resolvit,
Hepatis enphraxim reserat, splenisque tumorem
Extenuat, colicis de frigiditate medetur:
De gelidis compressa domat praecordia chymis;
Viscera ventosis curat pulsata procellis;
Subvertit vomitum: crudi quas nausea ventris
Reiicit acceptas Haemagogum continet escas:
Phlegmaticum movet humorem, motumque potenter
Eiicit. In causis nullum muliebribus isto
Fortius et melius medicamine comprobat usus.
Ex haemorrhoidis patientibus atque solutis
Est hoc antidotum summa ratione cavendum. —
Constat Haemagogi vis integra quatuor annis.

BLANCA MAJOR.

Blancos Blanca movet chymos: fit commoda nervis,
Phlegmatis eluvie pressis: confert tremulosis,
Asthmaticis, lippis, lethaeis atque caducis. —

---

733) Inscriptio apud Ls. et in cod. π est: *Antidotum haemagogum*, quae verba transponenda putavi, littera h praetermissa, cum haec in verborum initio saepissime a scriptoribus medii aevi omittatur. — 750) *Fovet* Ls.; *movet* π. — 756) Blancos chymos i. e. humores albos s. phlegma. — 757) *Fl'atis g eluvie* π. — 758) *Asmaticis* π.

Cephaleam gelido genus ex humore trahentem,
Cui tribuunt vires privatae foedera causae,
Pulveris anthophili, vel, quem xylocassia reddit,
Mixturam sibi concilians data Blanca potenter
Eruit, et veterem tollit nova causa querelam.
Prima vadum tentet, praecurrat iter medicinae
Aurea per patulos naris infusa meatus;
Vel Diacastoreae vel Sacrae potio picrae.
Si triduo mellis acidi praecesserit usus,
Cum praedictarum resoluta mero specierum
Excludit capitis natum de ventre dolorem. —
Sic data perfusos lacrymis semperque fluentes
Sanguineos reprimit oculorum Blanca tumores
Se quibus admiscet cum sanguine phlegmatis humor.
Cui si castorei pulvis, stafisagria, mastix,
Mixtus erit, pilulisque frequentibus inde receptis,
Lumina detergit lippo foedata liquore.
Quae sibi commixtis et lance pari sociatis
Eufrasia, marathro, ruta, latoque cimino
Limpidat obscuros oculos, siccatque madentes,
Fortiter exonerat pressos purgatque repletos,
Palpebras reserat viscoso carcere clausas,
Nexas dilaqueat, viscosa bitumina mundat.
Quae bene gummosis sibi commixtis anacardis,
Mastice, castoreo, myrrha, pilulisque recepta:
Ne fluat in vanos motus, falsasque timoris
Umbras concipiat, ne castra superflua fundet,
Finibus Italicis ne se quaesiverit extra,
Phantasiam firmat: logicae virtutis acumen
Dirigit et mentis deliramenta retundit:
Vim memorativam solidat, gazam rationis,
Lubrica lethaei quam merserat unda fluenti
Colligit et reparat et sub Jove siccat amoeno.
Haec anacardorum generoso mixta liquori

761) *Silocassia* π; *filocassia* Ls. — 766) Sacra picra i. q. Hierapicra, cfr. l. 4, v. 1387. *Pigrae* π, Ls. — 773) *Pulvis strafisagria* π. — 785) *Fundat* Ls.; *fundet* π. — 792) *Generoso* legit G.; forsan *gummoso* uti supra (v. 782), nam Cod. π habet *gñoso.*

Frixa mero, cellae superaddita posteriori,
Perdita virtutis memorantis iura reformat;
Ante die quarto caput ignea cuffa vaporet,
Ut cutis effundat carpello caesa cruorem.
Hermodactylico purgat sibi pulvere mixto
In pilulis gelidam sero data Blanca podagram.
Ex ebuli cimis, de sambuci mediano
Cortice, proiectis tunicis, solisque retentis
Mollibus interulis, de feniculi, petrosilli,
Seminibusque apii, fiat decoctio, per quam
Blanca resolvatur chamaeactis mixta liquori
Expresso a cimis, quod conchula continet ovi.
Hoc accepta modo, tali celebrata tenore,
Usibus assiduis pro viribus accipientis,
Liberat hydropicum longi de carcere morbi,
Cui digestivi motu languente caloris
Fortior expellens et proiectoria virtus
Laxat et extendit generali membra tumore.
Pulvere castorei largo sibi pondere mixto
Per crebras iterata vices, nunc subdita linguae
Per pilulas, nutritivis nunc tradita membris,
Os tortum pendens, labrum faciemque solutam
Linguam legitimae fraudatam iure loquelae
Rectificat, relevat, compaginat atque coaptat,
Integrat et cuneo naturae verba monetat. —
Cappare, feniculo, mixtis sibi cum tamarisco,
Et quae leptomerae virtutis acumine pollent,
Spleneticis confert, si mollitiva relaxent
Splenis duriciam, si digestiva medendi
Usum praeveniant, ne prima novissima fiant. —
Jus apoplexiae dirimit, morbique caduci,
Si tepido vino, quo sit caro cocta leonis,

---

793) Cella posterior i. q. occiput. — 795) Cuffa i. q. ventosa s. cucurbitula chirurgorum. — 796) Carpellum i. q. scalpellum. — 797) *Haec modactilico π,* Ls. — 803) *Camantis π,* Ls.; *camātis μ;* lego *chamaeactis* i. q. ebuli. — 804) *Concula π, conchula* G.; ac si dixerit auctor: tantum liquoris, quantum capit testa ovi. — 809) *Fortius* Ls.; *fortior π.* — 811) *Si* Ls.; *sibi π.* — 814) Paralysis oris et linguae. — 815) *Fraudatum* Ls.; *fraudatam π.* — 819) Leptomera i. e. attenuans virtus.

Blanca resolvatur, et sic resoluta bibatur.
Sic se matronam veterem Platearius olim
Per duo lustra prius passam curasse fatetur. —
Annis Blanca manet geminis foecunda vigoris.

BENEDICTA.

Humores trahit a membris Benedicta remotis,
Dissolvit lapidem, morbum fugat articularem,
Stranguriam, phrenesin, colicam domat et paralysin,
Amputat enphraxes hepatis, splenisque tumores,
Iliacam solvit pestem, reprimitque podagram.
    Ante datis divisivis radicibus, herbis,
Gummis, seminibus, quibus est diuretica virtus,
Ordine sub certo, quorum foecunda Salerni
Pagina describit similem distincta columnis,
Corpore mollito calidi virtute lavacri,
Quo fuerint cocta cresso, senecio, malva,
Furfur et althaea, cissum, linochidis herba;
Admixtis sibi praecipuis meliusque probatis,
Quae praedictarum pandit distinctio rerum,
Summam nephreticis curam gerit et lapidosis. —
Pondere si duplici, quam regula conficiendi
Exigat, admixtus erit hermodactylus illi
Ictibus arteticis acri de rheumate natis
Subvenit et gelidae confert Benedicta podagrae. —
Quae cum clysteris apozemate mixta, pudendis
Instillata locis, colicam, si solverit alvum,
Spondet, quod colici tollet nocumenta doloris,
Cum Diamargariton si demum mixta bibatur.
Sed calidi primum venter, partesque pudendae
Renes et lumbi sitiunt fomenta lavacri.
Actio clysteris si surda sit atque rebellis
Ut duras nequeat ventris dissolvere faeces,
Sumta per os medicina nocet, viresque doloris

---

836) Sermo est de libro quodam Magistri Salerni, cuius Tabulae citantur (Halleri biblioth. med. pract. I. 429), et has ipsas tabulas indicare videtur Aegidius per paginam columnis distinctam. — 840) *Arthea* π. — 845) *Illic* π; *illis* Ls.; lego *illi*, scil. Benedictae, in cuius compositionem iam ingrediuntur hermodactyli. — 848) *Apocimate* π.

Exacuit, morbum renovat, ventremque procellat. —
Conceptam vitio stomachi, quam causa creavit
Frigida, cephaleam domat antophilis sibi mixtis
Et nuce muscata. Sed frontis inunctio primo
Et laterum capitis calido celebretur olivo. —
Quos fermentat hydrops, pexis quibus hora secundo
Incrudata, vago distendit membra tumore:
Quos gravat eluvies, Benedicta vigore potenti
Liberat et redimit: data cum vino petrosilli,
Masticis et marathri, dauci, duplicisque cimini.
Postquam pleuretici deferbuit ira caloris,
Jamque suos motus, bis septem noctibus actis
Post acmen propriis quaerens erumpere cellis,
Ordine postposito ne proflua forsan oberret
Materies, fatuo ne laedat membra recursu,
Haec medicina cavet data cum ptisana, dragaganto
Gummi, penidiis, melonibus atque citrolis. —
Permanet incolumis Benedictae vita biennis.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

Dulcia Threicii resonans modulamina vatis
Tange chelin, digitisque fides percurre sonoras,
Largo Cirrhaei libamine pota fluenti,
Diva, Musandinas evolve et dissere leges.
Decrepito longoque diu fuscata veterno,
Quae calcata iacent, quae nunc abiecta teruntur,
Sparsaque vilescunt communibus edita chartis,
Nec iubar eloquii, certam nec habentia formam
Collige, compone, renova, prudenter adorna.
Oblectata novis, quae praesens despicit aetas,
Eruta de veterum scriptis antiqua recense:
Ad veteres cantus quoniam nova nauseat auris,

865) *Petrosillo* π, Ls. — 869) *Post agma* π, Ls.; *post agit a* G.; lego: *post acmen*, i. e. post summum vigorem morbi, seu statu et culmine morbi superato; vel *post augma* i. e. post augmentum morbi, v. Puls. v. 49.

Delicias pastorales et ludicra quaerens,
Historiam veterem numeris metrisque ligatam,
Ut melius resonet modulis aptare memento,
Et vetulam compelle novo iuvenescere cantu,
Seque puellarum iungat matrona choreis,
Atque pedem moveat, sed non lasciva pudicum,
Nec sua pentametro frangat vestigia gressu.
Ut melius vigeat vetus anticumque Falernum
In vegetes transfunde novos, gentique Salernae
Crateri mandata novo sua vina propines.
Quae postquam gustu doctaque probaverit aure,
Noverit illa suis collecta in montibus esse:
Sed calicem sciat esse meum; si forma probatur
Artificis, qui materiam sumens alienam
Fingit in aere novos ligno vel marmore vultus.
Sed quia de rebus propriis plerumque parantur
Usus et obsequium, manibus quaesita ministri,
Et valet interdum dominus clarescere servi
Muneribus: mea philosophis fer dona Salernis,
Aegidio mittente suo; foecunda salutis
Fercula suscipiant non dedignante labello,
Scripta legant: honor est patri cum proficit haeres:
Sic famulo respondet herus: sic foedere certo
Atque relativo patri est obnoxia proles:
Discipulo doctor tanta compage ligatur:
Sic sibi coniurant et amicis nexibus haerent,
Quod bona progenies laus est et gloria patris,
Ingenuumque probat proles generosa parentem:
Sedulitas famuli domini foecundat honorem
Discipuli titulo doctoris fama relucet:
Luna probat radios solis: corpusque fatetur
Umbra suum: truncum ramusculus, uvaque vitem:
Ex olei merito pretium clarescit olivae.

---

14) *Numeris* π, Ls.; *nūis* μ. — 15) *Momento* π, Ls. — 21) *Segetes* Ls.; *vegetes* π; veges est dolium s. vas vinarium. — 45) *Olii* π.

DIAMARGARITON.

Cor Diamargariton recreat, mentemque serenat:
Tristes exhilarat: phthisicis fomenta propinat:
Consumtos reparat, quos macronoxia vexat:
Cardiacam curat: sordes a corde relegat:
Restituit gustum torpens acuendo palatum,
Atque cibis proprii dat condimenta saporis:
Quos anathymiasis vexat fumosaque pexis,
Ad solitum morem revocat, tribuitque vigorem.
Debile cor recreat, gelido torpore ligatum,
Frigore densatum, tenebrosa nube gravatum,
Si miscetur ei pulvis, quem fracta ministrat
Ossea durities cervi de corde recepta;
Ponderis haec ratio: mediam capit uncia drammam;
Ante cibum mane dosis haec cor visitet aegrum,
Et sit odoriferi comes huic potatio vini.
Non des, si calidae sit passio filia causae.
Hoc quoque cum vino ieiuno ventre bibatur,
Frigida cui stomachum crasis incrudescere cogit:
Frustum ligni aloës cum basilicone moretur
Tempore nocturno puro fortique Falerno,
Cum Diamargariton vinum hoc si mane bibatur
Invalidam pexim relevat, quam deiicit algor.
Si foecunda magis, si rerum plena facultas,
Larga manus, praegnans loculus, si splendeat auro
Arca, vel argento niteat, domus ampla clientum
Ferveat obsequio, si deliciosa potentis
Plus aequo lasciva fames spoliare laboret
Divitiis elementa suis, si purpura corpus
Ambiat aestivum, digitis si fulguret aurum,
Electum gemmata merum si vasa propinent,
Si magnis se divitiis mens magna coaptet,
Aggravet hic medicina manum: sumtus onerosos
Exigat: hic positos debet transscendere fines,

---

47) *Phthisicis* Ls.; *Tisicis* μ. — 48) Macronoxia i. q. longus morbus. — 51) *Propriis* π, Ls.; lego *proprii.* — 58) Contineat uncia una Diamargariton drachmam unam pulveris ex osse cordis cervi. — 73) Verba: *si purpura c. amb. aest. dig.* desunt apud Ls., habet π.

Contundat gemmas, molat aurum, misceat ambram,
Balsama non dubitet propriis apponere causis;
Lignum aloës fervente mero desudet et illi
Se perdendo suum tribuat mandetque vigorem.
Jacturam redimit opulentia, cura salutis,
Hoc quoque, quod propriae geritur custodia vitae.
Nam cum auri drammam capiat pro nocte liquoris,
Et natura suas habet interponere partes,
Ut se confortet, recreet, relevetque cadentem,
Cum vino Diamargariton, ubi caumata passum
Lignum aloës fuerit, detur stomacho patienti
Dyscrasiam gelidam, gelidaeque pericula pexis. —
Quid faciet Codrus, quid Codri curta supellex?
Cuius plebea vacuus farragine venter
Non satis impletur, spasmum patiente crumena,
Cuius opes modicis depicta sophismata chartis,
An quia res angusta domi, quia parca facultas
Et tenuis sumtus nequit hos attingere luxus,
Et vetat in vetitum motus erumpere mentis,
Nuda salus sine subsidio prostrata iacebit?
An quia deficiunt species et aromata desunt,
Codrizat tua, Codre, salus, deiecta fatiscit
Corporis integritas, quia te praesentia Mauri
Splendida non recreat, multo spectabilis auro?
Absit, ut insidias naturae sobria ponat
Mundaque paupertas, quae certis obsita metis
Non quaerit sibi praescriptos transscendere fines.
Paupertas medicina sibi tribus emta minutis,
Quam faba Pythagorae, lardo condita pusillo,
Et rude nutrit olus, cui de farragine panis
Furfurea factus avidoque in ventre receptus
Radit et elimat grossos de corpore chymos.
Plus sapit et reficit, nutrit, confortat et auget,
Se membris magis assimilat, se firmius illis
Inserit esca, famis avido condita sapore.

---

79) *Contundant* Ls.; *contundat* π. — 85) *Dremmam* π. — 88) Diamargariton detur in vino, in quo decoctum est lignum aloës. — 89) *Aloë* π. — 91) Cfr. v. 739 . . . 810. — 92) *Sartagine* π; *farragine* Ls.

Quae via curandi morbos, quae causa fidelis
Certa medela malis, nisi parcae sobria vitae
Regula privatis plerumque accommoda mensis?
Plus aqua, plus tenuis sub tecto paupere victus
Roboris ac vitae confert, quam Caesaris aula,
Nectarei calices, quam vitis vina Falernae,
Quam caro sylvestris latrantum parta labore,
Salmones sapidi, rumbae trutaeque rubentes
Inter regales epulas, tacetaque crassa.
Languet in his gula luxurians et venter obesus.
    Cum vino Diamargariton post prandia sumtum
De gelidis exorta domat fastidia chymis:
Sed de spirituum defectu nata coërcet
Ante cibum: de dyscrasia contracta caloris
Noxia non reprimit, sed plus fervescere cogit. —
Rheumata suppositum linguae viscosa resolvit
Pectoris asthmatici: phthisicos sine febre resumit
Cum ptisana sumtum, cui frigida semina purum
Ablactata diu commendavere liquorem.
Haec dosis emundat saniem, carnemque reformat,
Carne ligat media distantes ulceris oras. —
Chronica longaevi passos discrimina morbi
Integrat et reparat claro comitante Falerno,
Cuius aromaticos fragrantia vincat odores,
Vineus et gustum recreans, exclusus ab omni
Sit sapor austero: puri color aemulus auri,
Cuius subtilis substantia, lucida forma,
Cui fraenum imponat rosei mixtura liquoris. —
    Quos gravis exagitat malfactio, membra vigore
Privans sensifico, gelidae nimis aemula mortis
Rheumatico claudens vitales obice poros,
Aut purum vitae radium, cordisque lucernam
Obfuscans densa caecae caliginis umbra:

---

121) *Rumbae* μ; an rhombi? quaerit G. — 122) Tacetum s. taceta i. q. patera, Gallice Tasse, cfr. Adelung glossarium med. et infim. lat. VI, 462, ubi etiam Tacea legitur eadem significatione. — 130) *Asmaticis* μ; *asthmatici* putat G., cfr. v. 578. *Tisicos* μ. — 132) Emulsio e seminibus quatuor frigidis. — 142) Malfactio i. q. lipothymia; unde hoc morbo laborantes dicuntur Malfientes, s. Malifientes, cfr. Platear. expos. in antid. Nicol.

His Diamargariton, morbo cessante, medetur.
Die nihil dandum est, oris medicamina cessent,
Quando suos agit insultus in corpore morbus:
Exsurgat facies roseo perfusa liquore:
Basilicon, mentha, violae, rosa, myrtus amoenos
Naribus aegroti non cessent reddere fumos:
Plena rosis capiti se cervicalia subdant:
Quae tepidum biberit humorem fortis aceti,
Roboret invalidum superaddita spongia pectus,
Visitet extremas moderata fricatio partes:
Involvat perfusus aqua praecordia pannus,
Ut vagus algoris retrusus ab obice sanguis
Interiora petens tribuat solatia cordi.
Pingui pasta oleo subitoque extincta lucerna
Olfactum horribili gravet et contristet odore,
Sensilis ut virtus sternuto mota, sepultam
In cerebri cellis animalem suscitet auram,
Foemina matricis quae compellente querela
Exstasis in raptum rapitur, totiens memoratum
Suscipiat Diamargariton regione pudenda,
Quae Veneris sedes, Vulcani fabrica, partus
Janua, qua sorbens hominem lasciva voluptas
Defervere solet: ubi iusta libidinis ira
Frangitur et, primo quae fervida, fine tepescit:
Prodiga quae donis fuerat, quae proflua pactis
Plenaque pollicitis, detenso languida nervo
Alget avaritia: postquam deferbuit ardor
Cessat amor, cadit affectus, dandique voluptas:
Febris abit facta sanie, ruptoque tumore
Tensio laxatur, et solvitur ira caloris:
Quae primo fuerat absorpta libidine carnis,
Damnat opus ratio: sed post, surgente procella
Fit carnis recidiva fames, crescitque bolismus. —

---

148) *Die μ; deinde* putat G.; usque dum melior lectio invenietur, retineo *die*, quasi illa die. Oris medicamina i. e. medicamina per os seu interne sumta. — 168) *Quae* Ls.; *qua* π. — 172) *Sollicitis* Ls.; *pollicitis* π. — 179) Bolismus i. q. bulimos, fames vehemens, cfr. infra v. 231.

Illibata tenent annis sua iura duobus
Hoc Diamargariton et ei conforme Dianthos.

DIANTHOS.

Febribus afflictos, languore diu cruciatos,
A morbo profugos iuvat instauratque Dianthos.
Suscitat invalidam pexim, confortat orexim:
Confert cardiacis et tristibus et macilentis:
Roborat invalidos, quibus est vis parva caloris,
Qui tabulae haerentes nudi sine veste vigoris,
Virtutis modicae leni spiramine moti,
Jam rate confracta morbi evasere Charybdin.
In quibus expediat causis, quas debilitatis
Subvertat species, opus est indagine veri;
Hanc calor, algiditas, enphraxis, frigidus humor,
Spirituumque facit defectus: si calor illam
Vel si spirituum defectus, nulla Dianthos
Gratia subveniet: si praeclusiva viarum
Spiritibus neget enphraxis per membra recursum
Membraque debilitet, cum puro sume Falerno,
Cui dederint electa suas diuretica vires:
Dyscrasiae socius gelidae si frigidus humor
Debile disponat corpus fluxuque fatiget,
Cum vino dabitur, ubi sint incendia passi
Mastix, olibanum, gariofilus et cinamomum:
Causa prior maneat desitque solutio ventris,
Det vino nux sola suum muscata vigorem:
Frigiditas humore carens post dona Dianthos
Postulat offerri puri libamina vini.

DIAMORON.

Quod fit de moris, morbos exterminat oris.
Faucibus arctatis valet et squinance gravatis:
Guttur mundificat: uvam de rheumate siccat
Diamoron duplex: unum, cui morus agrestis

181) *Conforme Diandos* π; alibi semper *Diantos*. — 192) Hanc scil. debilitatem. — 210) *Vinum cui* π, Ls.; lego *unum*, *cui*. Morus celsa est vera mori arbor, Maulbeerbaum; morus agrestis est rubus, Brombeerstrauch.

Dat sua mora rubus: reliquum quod ab arbore celsa
Et vires trahit et succos: et utrumque cadentes
Et male laxatas ex rheumate sublevat uvas:
Siccat et extenuat, madidat et rheuma coërcet,
Quod ferit arterias, fauces et guttura crebro
Humorum impulsu, si gargarismate facto
Cum calida teneatur aqua patientis in ore.

DIASATYRION.

In Venerem pronos quos olim fama notavit,
A satyris Diasatyrion nomen sibi traxit.
Militiae Veneris lascivaque praelia noctis
Ex Diasatyrion sumunt augmenta vigoris:
Lumbos ingravidat, membrum genitale reformat,
Testiculos inflat, et virgae sperma ministrat.
Ergo foemineo quisquis seductus amore,
Fortius affectas Veneris sudare palaestra,
Et coitu assiduo muliebria pascere vota:
Qui nervo constante diu nunquamque remisso
Vis multas iterare vices, passerque videri,
Cum Diasatyrion hoc durum et molle duellum
Aggredere, ut capias lascivi dona triumphi.
Stulte, quid aggrederis vulvae saturare bolismum?
Cur avidae affectas implere voraginis antrum?
Tartarus, os vulvae nequeunt pontusque repleri.
Lassari multo coitu, nunquam satiari
Vulva potest: Graecus furit intus et aestuat ignis,
Qui nulla moritur nullaque extinguitur arte;
Quanto plus molitur, quo plus attrita flagellis
Hoc magis ardescit, saevitque libidinis aestus,
Omnis ad istius pelagi fit navita portum
Naufragus et rupto semper subit ostia malo.

---

231) Bolismus i. q. bulimos, uti supra v. 179. — 235) Hoc desumsit auctor ex veteri lingua sua; olim Galli vocabant: Feu gregeois, Ignem Graecum, quem hodie appellant Feu d'artifice, sulphuratum ignem, qui in ipsa aqua non extinguitur. Sic Gudius. Dicebatur etiam Ignis Pelasgus, Feu griiois, Feu greioays.

Vae tibi, qui vanum et vilem meretricis amorem
Sanguine mercaris proprio, totisque medullis!
Quamvis illicitam moveat Veneremque profanam,
Et vetitos Diasatyrion accendat amores,
Cum Veneris faciat equites ad bella paratos:
Iustius et melius iusto famulatur amori
Et castos ignes celebrat taedasque iugales.
Non sit adulterii calcar, stimulusque furoris;
Non oleum infundat ardenti sponte camino.
Sed tamen hoc melius fieret, quod cresceret ardor,
Et quod in immensum vetitus consurgeret ignis,
Corporis exhaustis humoribus atque medullis
Ut sua luxuriae faceret consumtio finem,
Cum Diasatyrion stincos appone, bibatur
Satyrion, eruca salax, nux Indica, stincus,
Ut facibus tantis consumto fomite totus
Transeat in cineres tepidos et langueat ignis,
Et qui non valuit spontaneus esse pudicus,
A vitiis compellatur cessare coactus.
Huius opus proprium thalamis servire pudicis
Legitimis parere thoris, taedaeque iugalis
Confirmare sacros concordi foedere nexus.
Cum virtus genitiva perit, cum mortificantis
Frigoris excessu sterilis devolvitur aetas,
Nec fructum dat planta suum, sed rebus habendis
Defectu sobolis extraneus imminet haeres:
Cum rerum fluitant, incertaque iura vagantur;
Cum lites acuit dominandi tetra libido,
Agricolam cum forte novum sibi vendicat uxor
Matricis sterilem qui fortius exarat agrum.
Talibus in causis Diasatyrion sua praestat
Commoda coniugibus, quos copula sacra ligavit:
Perdida restituit nativi iura caloris:
Foecundat geminos genitivo semine fratres:
Palpat lascivo genitalia membra vapore:
Atque vaporoso concepti turbine venti

---

263) *Parit* π, Ls.; lego *perit*.

Languentem et modicum compellit surgere nervum,
Conceptum iuvat et stabilem confirmat amorem:
Scissuram generis foecunda prole renodat. —
Cum bene condito detur fortique Falerno.
Quod si forte times corpus sudore resolvi,
Vini conveniens lymphae mixtura vigorem
Temperet, ut blando foveantur membra calore.
At quidam Venerem magis inflammare volentes
Cum Diasatyrion stincorum iura propinant:
Tantaque fit rabies, tantusque libidinis ardor,
Quod calor exhalat, quod poris sudor apertis
Egreditur: pascens coitum depascitur humor:
Ocia nervus agit: Veneris detenditur arcus:
Virga iacet, quamvis blando palpata frequenter
Contactu manuum, surdaster pamphilus aurem
Non levat: expectans mulier sibi sustinet aegre
Gaudia differri, longo languentia voto:
Accusat Diasatyrion: artem medicinae
Arguit et medicos reprobat, qui talia tradunt,
Cum modus in culpa sit dandi, non medicina. —
Hoc monacho iuveni, rubicundo, ventris obesi,
Qui Veneris stimulos et amoris pabula quaerit,
Imprecor, in coitu quod tanto incandeat igne,
Quod finem statuat vetitis consumtio rebus.
    Si coitum impediat vis incensiva caloris,
Corporis humorum consumtio, spirituumque
Defectus, non est dicta reparabilis arte,
Nec Diasatyrion huic causae cura medetur. —
Quisquis eget Diasatyrion, se nutriat escis
Sorbilibus, liquidis, teneris membrisque regendis
Quam confortandis melioribus atque fovendis;
Quarum applausivam membris et convenientem
Temperiem facit humiditas sociata calori.
In sero prius accepto medicamine dentur

---

280) *Non* π, Ls., quae vox non bene quadrare videtur; lego *cum.* Platearius (expos. in Nicol. antidotarium f. 375 b) habet: „detur cum vino mediocriter lymphato." — 287) *Exalat* π. — 296) *Motus* μ; *modus* legit G. — 305) *Quamvis* Ls.; *quisquis* π.

Palmorum fructus et amygdala dulcia, ficus.
Algentes lumbos, vel quos viscosa molestat
Materies, valido virtutis robore firmat
Cum vino sumtum: sed ei diuretica misces,
Si secum trahat humoris consortia morbus.
Qui lumbos castrare volunt, certantque pudicis
Nexibus effrenes carnis praecingere motus,
Sancta pudicitiae quibus umbra refrigerat aestum,
Luxuriae quibus aura fugat divina calorem,
Quos sancti sacra Fulconis doctrina severum
Edocuit vitae melioris carpere callem:
Dum nova, dum rudis est, et adhuc tiruncula virtus
Quando impubis adhuc intra cunabula vagit
Infans relligio, noviter Babylone relicta:
Hi quocunque malo renum ex algore graventur
Ex Diasatyrion nunquam, quamvis medicina
Summa sit algoris, sibi praesumant medicari.
Renibus alliceret pacem, sed bella moveret
Testiculis, pareret vicinis scandala membris:
Proximus arderet paries: gravis ille tyrannus,
Peccati fomes, lascivi incentor amoris,
Naturae stimulus, primo piger abditus imis
Partibus, in tepidae latitans torpore favillae
Aestuat admotis facibus, scintillat et ardet:
Tendit amor venas, nec desinit ira caloris,
Donec despumet detenso languida nervo.
At cum relligio radices altius egit
Cemento stabili, firmo solidata tenore,
Cui vim longaevi praescribit temporis usus:
Non movet hanc Diasatyrion, licet ostia pulset
Exploretque aditus, quamvis subvertere primum
Conetur vallum, nequit expugnare secundum.
Non ad consensum trahitur meditatio: petrae
Parvulus allisus se non sinit esse gigantem:
Occumbit fructus in semine, messis in herba,
In tepido cinere moritur tenuique favilla

---

311) *Amindala* π. — 330) *Arderes* Ls.; *arderet* π.

Igniculus: non corrodit vulpecula vitem. —
Terminat huic aevum finis qui terminat annum.

DIAPRASIUM.

Coryzam, branchum, tussim domat, atque catarrhum,
Arteriale malum cerebri de rheumate natum:
Uvas stillantes, fauces humore natantes:
Cum vino suntum tepido curat Diaprasum.
Si patiens tepidum praegargarizet acetum,
Quo sint cocta rosae, balaustia, sidia, gallae,
Dactylus et caricae; vinum quibus addere dulce
Ad dissolvendum confert et mundificandum. —
Acceptum comitante mero partique dolenti
Appositum gelido dentes humore gravatos
Et male rheumatico percussos verbere sanat. —
Suppositum linguae, misto sibi penidiarum
Pulvere, thoracis fugat ex algore querelam;
Phlegmate compressi causam pulmonis anheli
Terminat et dirimit, et respiracula solvit. —
Admixtis sibi penidiis, gummi, dragaganto,
Atque liquiricia cum pulvere gentianae
In solidae speciem massae vertatur, ut inde
Formentur pilulae, quae, si teneantur in ore,
Asthmaticos sonitus reprimunt, suspiria tollunt.
Cum vino marathri bibitum dulcisque cimini
Invalidum confortat hepar, stomachumque reformat,
Frigoris excessu cuius male devia virtus
Tramite legitimo genuinae pexis aberrat. —
Caumate febrilis defervescente caloris,
Mundata partim sanie, partimque retenta,
Cum lenitivo sumtum calidoque liquore
Pleureticos paregorizat lenitque dolores:
Dissolvit, purgat, et membra putredine mundat. —
Hoc quoque nephreticis confert et stranguriosis
Si cum saxifragae vino fuerit resolutum.

---

349) *Corizam*, *brancum* π. — 350) Arteriale malum i. q. vitium tracheae. — 356) *Mondificandum* π. — 372) *Oberrat* π, Ls. — 376) *Paragorizat* π.

Conceptos abolet splenis regione tumores
Cum vino de leptomeris ducente vigorem
Herbis, seminibus, radicibus et speciebus. —
Turbine ventoso colicis vexata procellis
Viscera componit, si demum vina bibantur
Muscatae nucis et nardi redolentia vires. —
Clausa per enphraxin, gelido torpore ligata
Rumpit et excludit muliebris stanna monetae,
Musceleo mixtum si cum bombace pudendis
Partibus haec mulier supponat tempore noctis. —
Ut claudam breviter, unoque charactere multa
Expediam: gelido genus ex humore trahentes
Omnes membrorum morbos fugat interiorum,
Si comes affuerit clari libatio vini. —
Claudit ei quartus mensis vicesimus aevum.

DIAZINZIBEREOS.

Arterias male concurvas, rauceque sonantes,
Viscosus nimiumque tenax quibus humor adhaeret,
Planat et elimat Diazinziber atque resolvit;
Spurcitiae veteris concretas frigore sordes
Mundat et extergit: vitium spirabilis aurae
Lenit: et humectat aditus humore latenti. —
Cum premitur gelidis pulmonis fistula chymis
Eruit asthmatico querulo de pectore cantus,
Et tussim de viscosis humoribus ortam.
Sed ptisanae succos aegro sorbere iuvabit,
Admixtis sibi penidiis, gummi, dragaganto
Atque liquiriciae succo, caricis et hysopo.
    Ex crudo quibus est stomachi sitis orta vapore,
Gutturis ardorem quibus indigestio praestat,
Inflammatque volas manuum, Diazinziber illos

---

390) *Breviter* G.; *b'r μ*. — 395) Inscriptio: *Diarrizeos* Ls.; *diaz'zcos π;* lego *diazinziber*, vel *diazinzibereos*, cum littera Z duplicata sit nota vocabuli Zinziber, et cum praeterea virtutes de hac compositione ab Aegidio praedicatae cum Zinziberis viribus conveniant. Etiam in Nicolai Praepositi antidotario minori f. 377 a Diazingibereos immediate sequitur Diaprasium. *Concurvas π*, Ls.; forsan *continuas*, i. e. minus laeves. — 398) *Spurcitie Veneris π*, Ls. — 402) *Asmatico π*. — 404) *Aequo* Ls.; *aegro π*.

Curat, cum vino susceptum feniculato
Vel quo bullierit anisum, mastix et anethum.
Excitat officium coitus, et iura caloris
Perdida restaurat, pexim in crudore iacentem
Sublevat, et faciem pulso pallore venustat. —
Cum ptisano sumtum, cuius toties memorata
Saepius expressit propriam descriptio formam,
Jam facta sanie, rupta compage tumoris
Pessima pleuretici prohibet contagia morbi. —
Vix transire potest primum Diazinziber annum.

DIACIMINUM.

Ventosum stomachum tranquillat Diaciminum,
Diluit offensas stomachi de frigore natas,
Et gelidas tusses vitalia membra gravantes:
Crudaque rheumatici valide stillamina motus
Excoquit et mundat, si cum vino tribuatur,
Quo caricas pingues et passas coxeris uvas.
At sibi sudorem bene tectus provocet aeger,
Et somnum faciat, ut crudi causa catarrhi
Coctior effecta valeat sudore resolvi.
Quando supercilium fumoso malleat ictu,
De vitio stomachi surgens vis saeva doloris
Ante cibum gravius pulsans, post prandia lenis,
Expedit acceptum cum vino Diaciminum,
In quo decocta sint macis, spica, galanga.
Sic gelidae recipit curanda negotia pexis.
    In febribus sumtum tepido comitante caleno
Temperat horrores typicos et frigora mollit.
Praevalet enphraxis hepatis splenisque tumentis
Angustas reserare vias, asaro, petrosillo,
Cappare, feniculo, mixtis simul cum tamarisco. —
Per geminos viget hoc annos, intraque duorum
Annorum metas ipsius clauditur aetas.

---

428) *Coctici μ, π,* Ls.; lego *coctior:* i. e. magis cocta materia s. causa catarrhi. — 439) *Mixtis simul cum π,* Ls.; *simľ μ.*

DIACALAMENTUM.

Subvenit asthmatico confectio de calamento,
Pectoris offensas gelido de rheumate natas
Fortiter avellit: febrilia caumata pellit.
Jus quoque quartanae nonnunquam reddit inane.
Cum forti vino susceptum vespere sero
Tussibus occurrit gelidis, quas provocat humor,
Quas movet et renovat, quas intempestat aquosi
Rheumatis eluvies, crebro stillamine pulsans
Vitales aditus, noctisque silentia rumpens.
Pulvere baccarum lauri tostique cimini
Sacculus impletus caput ambiat aut regioni
Pectoris aptetur, calidus si morbus ab illo
Radicem causamque sui contraxerit ortus. —
Hoc sumto comitante mero proscribitur omnis
Ex algore satus stomachi dolor atque fugatur.
Mota procellosis tranquillat viscera ventis,
Si vinum dederis ameos in fine bibendum.
Pectica nativo virtus spoliata vigore,
Crimine crudoris defectus passa ruinam,
Se regit et relevat, sese innovat atque reformat
Saepius accepto medicamine de calamento:
Cuius si modici libatio sobria vini,
Cum quo bullierit macis, compleverit usum,
Promta salus, ratus effectus meliorque sequetur. —
Menstrua, frigiditas quae constrictiva coërcet,
Vel quae viscosi sunt clausa bitumine chymi
Solvit suppositum matrici sive comestum. —
Masticis euforbii pariter sibi pulvere mixto
Appositoque diagridio sub pondere duplo,
Tetraceis febribus dominatur et amphimerinis,

---

442) *Asmatico π.* *Calamanto π.* — 448) *Int'pstat μ; intempestat* G. — 453) *Arctetur μ; aptetur* G. — 456) *Status* Ls.; *satus π.* — 458) *Anicos* Ls.; lego *ameos*, quod etiam confirmat Platearius (expos. in Nicol. f. 378 b) qui habet: „ventositatem in intestinis expellit cum vino decoctionis ameos." — 459) Pectica virtus i. q. peptica s. digestiva virtus, sicut saepius Pexis pro Pepsis. — 462) *Calamanto π,* Ls. — 469) *Masticus π,* Ls.; cfr. v. 475. — 471) Amphimerinae s. amphemerinae febres sunt quotidianae, tetraceae quartanae; *aphimerinis μ.*

Et laxativae tenet officium medicinae
Si bene digestis humoribus ante febrilem
Accessum dederis, quinis vel quatuor horis,
Foederat euforbum scrupuli sibi pondere mastix:
Illud idem superat scrupulo scamonea duplato. —
Non valet hoc anni metam transire secundi.

DIARHODON MAGNUM.

Diarhodon magnum sicut se nomine magno
Magnificat, sicut titulo maiore superbit:
Sic magnae virtutis opus magnumque vigorem,
Lance pari magni mensuram nominis aequat. —
Praevalet immodicos stomachi sedare dolores,
Quos creat humiditas peregrino iuncta calori;
Si calor humoris expers sit causa doloris:
Non des, cum sit ei transgressio parva caloris:
Nam de temperie quamvis se iactitet ipsum,
Plus tamen in calidum vergit calidoque propinquat. —
Cardiacos fugat insultus et lipothymiae
Defectus abigit, lumen vitale serenat,
Cum vino sumtum, quo desudaverit ante
Macer supplicium ferventis passa caloris.
    Sumendi magis expediens describitur hora,
Morbo conveniens, praesenti congrua causae,
Quando novella dies orientis cardine surgens
Emicat, et coelum rutilo splendore salutat:
Quando labor populis, somni iam pace soluta,
Inchoat et solitos operum recidivat in actus:
Quando suos urbs Parisius celeberrima cives
Excitat, ut nimio plebis fervente tumultu
Passibus assiduis Sanctorum limina vexent.
Cum gelido fonte dandum est roseoque liquore,
Quando sui cursus mediato tramite lucis

---

480) *Sic* π; *si* Ls. — 485) *Ei* π; *si* Ls. — 488) *Lippotomiae* π. — 491) *Mater*, π, Ls. *mat'* μ; lego *macer*, uti infra l. 5. v. 888; cum saepe in codd. manu scriptis litterae c et t inter se confundantur. — 497) *Recidivat* π, Ls.; an *redivivat* quaerit Gudius. — 498) Parisius vel Parisium, utraque vox interdum pro Lutetia Parisiorum sumitur. — 500) *Lumina* μ. π, Ls.; *limina* G.

Lance pari medias librat sol igneus horas,
Defectiva quibus nimio sudore resolvit
Membra diaphoresis, quam talia signa figurant:
Parvus et invalidus sit pulsus, creber, inanis,
Vox tenuis: color exsanguis: spiratio spissa:
Ordine non certo manans sed semper abundans
Nec relevans sudor, cretico non tempore factus.
Sudantes vitio stomachi distinguit ab istis,
Pectoris aut inter spatulas pressura doloris:
Singultus quandoque gravis: post prandia ventris
Tensio sentitur, vomitus, fluxusque salivae.
Distant cardiacis cretico sudore fluentes:
Pulsus eis rectus: facilis spiratio: fortis
Impetus in venis: somnus levis atque quietus:
Corpus eis calidum: rubens color: ordine recto
Atque salutari manans de corpore sudor,
Qui quanto uberior, magis aegrotans recreatur,
Fortior efficitur, motusque mali minuuntur.
Saepe tamen sudor in acutae caumate febris
Frontibus occurrit, non toto corpore manans,
Sed solo capite gravosis atque rotundis
Per frontem vultusque fluens declivia guttis:
Pulsus saepe cadens, penitus depressus et imus,
Callida tangibilis fugiens examina sensus:
Quae tibi venturae sunt certa prognostica mortis.

Fortia qui longi ruperunt vincula morbi,
Naturam ut renovent, ut membra vigore reforment,
Diarhodon sumant et vini pocula libent,
Ex aqueo sibi temperiem sortita liquore. —
Praevalet angustos hepatis reserare meatus
Et strictos splenis aditus, si praeside vino
Acceptum fuerit, cui divisiva potestas. —
Hoc quoniam multa recipit diuretica, multum
Confert nephreticis: impendit opem lapidosis,

---

511) Spatulae i. q. scapulae. — 522) *Frīb9 μ; frontibus* G. — 527) *Pronostica mentis* Ls.; *pronostica mortis* π. — 533) *Plenis* π, Ls.; lego *splenis*, uti infra v. 728.

Cum vino acceptum, quo bullierit petrosillum,
Saxifragae radix, filipendula, granaque solis.

DIARHODON ABBATIS.

Est quoque Diarhodon Abbatis nomine clarum,
Cui dedit egregium regalis Curia nomen;
Confert hepaticis, ethicis, phthisicis, macilentis,
Ictericis, et cardiacis a febre solutis. —
Vergit in occasum cum primum transit in annum.

DIAPENIDION.

Quae de penidiis confectio nomina sumit,
Subvenit empicis: phthisicos fovet atque resumit:
Compescit tusses et morbos arteriales:
Pulmonem paregorizat, pectusque relaxat:
Guttura lenificat: modulamina vocis amoenat:
Diluit ex siccis mala consurgentia causis.
Omnibus his dandum est pariter ptisano resolutum,
In quo bullierint gummi, lactuca, papaver,
Malva, liquiricia, dragaganti lucida grana. —
Non dandum est ethicis, quos tertia sive secunda
Depascit species: nec eis, quibus emolit artus
Febri mixta phthisis: nec principio tribuendum
Pleureticis, nondum fracto ruptoque tumore,
Nam licet eucrasiam det ei moderantia rerum,
Multa tamen recipit in se subiecta caloris;
Et nimium calidos modicus calor ignit et urit.
Cum tumor erupit, cum fracto mixta tumoris
Obice purgatur sanies, ne forte profundis
Inviscata locis pars grossior atque cohaerens
Tardior ad motum, nec tussibus apta resolvi,
Praesumat violare suae penetralia sedis:
Pleureticis dandum Diapenidion resolutum
Cum ptisano, cui se melonis lacteus humor

---

539) *Et* π, Ls. — 540) Scilicet hanc medicinam Abbas de Curia composuit. — 541) Ethicis i. q. hecticis; *tisicis* π, Ls. — 544) *Surgit* μ; *sumit* G. — 545) Empici sunt, qui empyemate laborant; *tisicos* π. — 547) *Paragorizat* π. — 553) Qui secunda vel tertia specie hecticae laborant. — 566) Cum ptisana et emulsione seminum melonis et citrulli.

Seminibus fractis admiscuit atque citroli. —
In primo viget hoc anno, moriturque secundo.

DIACITONITEN.

Est Diacitoniten stomachi summum medicamen,
Quem fluxus cruciat, quem vis ventosa procellat,
Quem turbat vomitus, gravis indigestio, ructus:
Confortat stomachum, quem laxum, rarificatum,
Quem nimis invalidum febris discussa reliquit:
Partibus inculcat firma compagine partes
Compingit, sanat, densat, conducit in unum. —
Vim contentivam recreat, peximque reformat,
Spirituum vires agmentat, noxia siccat,
Asthmaticum sanat pulsatum rheumate pectus,
Et cum tusse phthisin, similis quas causa creavit:
Nam fluxum cohibet, et qui defluxerat humor
In declive, sui sorbet virtute caloris. —
Sumtio pro membris supra diaphragma locatis,
Nulla propinari poscit sibi pocula vini:
Pro stomacho celebrata meri libamina quaerit.
Ergo cuius amor, cui summa est gloria potus:
Vincere qui socium pleno cratere triumphum
Aestimat, haec stomachi causa libamina sumat,
Pronus ut ad potum laxis discurrat habenis.
Os replet utentis flatus spiramine lenis:
Cordis rancorem delet reparatque vigorem. —
Postulat hoc ratio renovari quolibet anno.

DIASENE.

Confert quartanae collata dosis Diasene:
Tristibus et timidis, vani quos umbra timoris
Concutit, ignavae detergit nubila vitae,
Inque melancholicis est expertissima causis. —

---

573) *Relinquit* Ls.; *reliquit* π. — 575) *Sanat* G.; *tanat* π; forsan *tannat*, i. e. partes laxas ita firmat et constringit, uti coria constringendo praeparantur a coriario, quod opus latinitas medii aevi tannare appellat. — 576) *Contemptivam* π. — 578) *Asmaticum* π. — 585) *Gloria* π, Ls.; *gl'a* μ. — 589) Facit bene olentem animam.

Postquam per geminos Diasene manserit annos,
Deficit et primi spoliatur iure vigoris.

DIACASTOREUM.

Antidotum Diacastoreum fert grande salutis
Subsidium laxis fluido de rheumate nervis:
Cephalicis, hemicranicis, vertigine pressis,
Atque monopagicis, tremulosis atque caducis.
Fortius has poteris meliusque retundere causas,
Lilifagi post antidotum si vina propines. —
Paralysis si lingua gravi torpore gravetur,
Ut cuneo non legitimo male verba monetet,
Tunc Diacastoreum, cui se contrita maritat
Salvia, castorei modico sibi pulvere mixto,
In pilulas orobi speciem formamque gerentes
Transeat: ex illis clauso teneantur in ore
Septem sive novem, donec penitus resolutae
Vim fumi cerebro mandent stomachoque liquorem.
At si paralysis alia de parte triumphet,
Muscelei penitus imbuta liquore dolenti
Aptetur medicina loco, partemque perungat;
Non quia subsidio gaudet pars aegra locali,
Inducias habeat sumenda per os medicina,
Sed cum lilifagi vino resoluta bibatur.
Cum vino, quo bullierint absinthia, solvit
Enphraxes hepatis; cum cappare vel tamarisco
Duritiam splenis; viscosa repagula renum
Cum milio solis, cum physalidos petrosillo.
Hoc accepturus medianam circiter horam
Prandeat: in sero nullis indulgeat escis,
Coena sit antidotum, vitae cibus, esca salutis. —
Huic suus effectus duplicato deficit anno.

600) *Emigranicis* π. — 601) *Monopaticis* π, Ls.; lego *monopagicis.* Monopagia s. monopegia est dolor fixus in singulo quodam loco cranii, forsan clavus hystericus; Nicolai Praepositi antidotarium (Venet. 1562. fol. f. 377 b) habet: „hemicraneis et monopagicis prodest doloribus." — 602) *Fortius as* μ; *fortius has* putat Gudius. — 607) *Castor'* μ; *castorei* G. — 608) *Orbi* Ls.; *orobi* π; orobum i. q. vicia. — 615) *Hoc* Ls.; *Non* π. — 621) *Fisalidos* π, Ls. — 622) *Accepturis* μ; *accepturus* G.

DIADRAGAGANTUM.

Dyscrasias siccas pulmonis, et asperitates
Gutturis, offensas thoracis, scandala tussis,
Et nocumenta sitis, raucae suspiria vocis
Corrigit et reprimit, quod nomen habet draganti:
Temperat accensas febrili caumate linguas.
Passio membrorum supra diaphragma requirit
Ipsum sub lingua constanter in ore teneri,
Ut tacito laps descendens spirituales
Temperet ingressus, et vocis plectra reformet.
Altera conveniens, dictis accommoda causis,
Forma salutaris sumendi, si patienti
Contuleris calidum ptisano fervente solutum
Huic quoque misceri debent liquiricia, candi,
Penidiae, pulvis amyli, gummi, dragagantum,
Et fiant pilulae patientis in ore tenendae.
Quisquis ad istius trahitur medicaminis usum,
Thoracis siccae craseos urgente querela,
Si febrilis eum minime succenderit aestus
Et stomachi nimium gelidi crudore laboret,
Potet lymphatum sumto hoc medicamine vinum,
Quo coctus fuerit modicus de mastice pulvis. —
Annus ei facit occasum, qui praestitit aevum.

DIAOLIBANUM S. DIAMANNIS.

Tollit hemicraneam: cilii sedare dolorem
Sufficit et lacrymas stringit sumtum Diamannis.
Haec creat algiditas stringens, vis ignea solvens,
Fluxilis humiditas currens, vis sicca coarctans,
Copia distendens, vis contentiva tenendum
Non cohibens: vapor ascendens et rheuma flagellans:

---

626) Inscriptio huius capitis apud Ls. et in cod. π est *Dragagantum*, sed lego *Diadragagantum*, cum ordo alphabeticus id requirat et reliqua dispensatoria sic habeant; versus 629 nil aliud docet, quam de dragaganto nomen sumere hanc medicinam. — 634) Cfr. v. 825. — 637) *Cal'm* μ; *calidum* G. — 638) *Hinc* π, Ls. — 639) *Amili* Ls.; *amil'* μ. — 645) *Potest* Ls.; *potet* π. — 648) Inscriptio huius capitis apud Ls. et in cod. π est: *Diaclibanum. Diamannis.* Diaclibanum esse pro Diaolibanum facile patet, et Diamannis idem esse quod Diaolibanum inde liquet, quod thus minutum etiam dicatur Mannis Libani seu Manna thuris.

Si gelida dolor ex causa vel rheumatis ictu
Aut grossi fuerit natus spiramine fumi,
Omnibus his causis ratio valet una medendi:
Masticis et thuris mixto sibi pulvere parvas
Transeat in pilulas Diamannis, de quibus aeger
Glutiat undenas instanti tempore noctis.
Si fluxum moveat lacrymarum lubricus humor
Vel contentivae defectus, rheuma vel algor
Praedictae valet huic morbo moderatio causae.
Fronte ac temporibus salientes rheumate venas
Expedit ut stringas sympasmate, quod liquor ovi,
Olibanum, mastix, bolus facit et Diamannis.
Cum capiti languor veteri radice cohaeret,
Et corpus fore plethoricum sua forma fatetur,
Tunc opifex alio medicandi tramite currat:
Cumque tribus iaculis morbum expugnare laboret:
Per triduum digestivo medicamine crudum
Dissipet humorem: curam nox tertia dandis
Impendat pilulis titulo fulgentibus auri,
Cum vino antidotum calido nox quinta propinat;
Dicto procedens trivio de rheumate multo
Fauces compressas medicandi regula sanat.
  Hoc cum penidiis, amylo, candi pilulatum,
Linguae suppositum passumque omnino resolvi,
Nodosas et inaequales, quas causa cohaerens
Asperat, arterias mundat, complanat et aequat.
Cum vino sumtum, quo passas coxeris uvas
Et caricas pingues, poterit subvertere tusses,
Vim quibus algiditas capitis vel rheuma ministrat.
Hoc quoque cum vino si masticis accipiatur,
Currentem laxis vomitum compescit habenis,
Quem vel frigiditas generat, vel tempore longo
Contentiva sui virtus oblita tenoris.
Ex hoc antidoto mixto sibi pulvere costi

---

657) *Turis* π. — 658) *Diamagnis* π, Ls. — 661) *Contemptivae* π. — 663) *Saliente reumatice venas* μ; lego *salientes rheumate venas.* — 664) *Simpasmate* μ; *emplasmate* putat Gudius. — 666) *Cohercet* μ; *cohaeret* G. — 667) *Pleutoricum* π, Ls. — 686) *Contemptiva* π.

Masticis ac thuris, ut costi summa duorum
Appendat geminas duplicato pondere partes,
Cum muscelino fiat cataplasma liquore
Ac oleo roseo, stomachi quod parte suprema
Appositum valida vomitum virtute coërcet. —
Rheumatis incursu natos in ventre dolores,
Vel quos frigiditas, vel vis ventosa creavit,
Mitigat accepto calidi libamine vini,
Nux ubi muscata fuerit cum mastice cocta. —
Cum peripleumonico de pectore, carcere rupto,
Libera purgatur sanies, ut nulla relinquat
In membro damnosa suae vestigia labis,
Ex ipso pilulis et myrrhae pulvere factis
Cum ptisano peripleumonicis detur Diamannis.
His quoque principio nondum orto caumate febris
Detur idem parili forma similique tenore,
Quem contra lacrymas series praescripta notavit.
Quam peripleumonicum distinximus esse salubrem
Empicos eadem sumendi forma medetur.
    Cum rosea si detur aqua non sponte fluentis
Seminis infames poterit compescere lapsus.
Utque sequi valeat medicinae promptior actus,
Proderit emplastrum membris aptare pudendis,
Renibus et lumbis cum femore de Diamannis,
Et de castoreo coctisque rosis in aceto. —
Succo arnoglossae prudens mixtura maritet
Antidoti vires, quo bombax tincta virilis
Sub specie membri muliebri subdita vulvae,
Ne fundat nimias rubrum mare continet undas,
Agrum naturae siccando superflua mundat:
Matricis loculum firmat, chartamque sigillat,

---

688) *Acturis* π, Ls.; *actoris* legendum putat Gudius; lego *ac thuris*, cfr. v. 657 et alibi. — 693) *Reumaticis* μ; *rheumatis* G. — 705) *Peripleumonicum* π, Ls. pro *peripleumonicorum*, cfr. l. 3. v. 60. -- 706) Empici sunt ii, qui empyemate laborant. — 707) *Sedetur* μ; *si detur* G., cfr. v. 856. — 709) *Usque* π, Ls. — 710) *Exemplum membris aptare* π; lego *emplastrum*, cum in codice antiquo μ sine dubio sigla *epli'*, vel alia huius generis legitur, Gudio quidem non, ut alias solet, id adnotante. — 713) *Arnoglosae praedens* π; *prudens* G. — 714) *Bumbax* π. — 715) In forma pessarii. — 718) *Cartamque* π.

Ut matricales firma compagine venas
Claudat et astringat sera fortior: ante soporem
Praedicto bibat hoc mulier cum iure solutum. —
Per duo lustra suum Diamannis prorogat aevum;
Non erit hoc dandum donec mediaverit annum:
Castaneae speciem dosis eius forma figurat.

DIACOSTUM.

Spleneticum de felle nigro sine febre tumorem
Utile subsidium morbo curat Diacostum
Cum vino bibitum, quo bullierit tamariscus;
Si strictos hepatis aditus compressio splenis
Arceat, ut choleram non respirare sinendo
Succendetur hepar, Trypherae mixtura iuvabit. —
Quos pulsat gelida ventos iniuria ventris,
Cum quibus infesti rixatur saeva doloris
Improbitas, tranquillat eos et terminat omnem
Offensae veteris sopita lite querelam
Cum vino forti celebrata dosis Diacosti
Ex nuce muscata validum ducente vigorem:
Aptetur cataplasma loco, quod de tamarisco
Cum musceleo componitur et Diacosto.
    Forte videns pauper se plus hac parte gravatum,
Seque minus tantis rerum fore sumtibus aptum,
Obstrepit in medicum verbisque insultat amaris:
Artigenem qui te provisoremque salutis
Constituis, modicae cui spillea paragogem,
Et prolixa domus faciunt augmenta staturae:
Qui tibi gemmato digitis radiantibus auro

---

723) *Medicaverit* π, Ls.; lego *mediaverit*, i. e. annum dimidium habuerit; nam Platearius (expos. in Nicol. antid. f. 377 a) habet: „non debet dari recens ante dimidium annum.“ — 724) *Aevis* π, Ls.; lego *eius*. — 728) *Plenis* μ; *splenis* G., cfr. v. 533. — 729) *Coleram* π. — 730) *Epercriferem* π, Ls.; lego *hepar, Trypherae*. — 734) *Luce* π, Ls.; lego *lite*, cfr. l. 4. v. 855. — 735) *Cosis* π, Ls. — 738) *Causa musceleo* π, Ls.; forsan *cortice*, vel *cappare*, vel *mastice*; interea lego *cum*. — 739) Glossa marginalis antiqua: Querela pauperis increpantis medicum de sumtuositate medicaminum. Cfr. v. 68 ... 123. — 741) *In medium* μ; *in medicum* G; *Amantis* μ; *amāris* G. — 742) *Arthigenem* π; lego *artigenem*, i. e. in arte natum, nisi mavis *Archigenem*, medici insignis nomen. — 743) Locus corruptae lectionis, quem neque intelligo, neque, deficientibus codicibus antiquis, emendare nunc iam audeo.

Cor varium variis ex pellibus esse fateris,
Ars tua divitibus solis, quibus ampla facultas,
Quos vanos trahit in suntus opulentia rerum,
Servit et optatae praebet solatia vitae.
Ars tua divitiis avide sua retia tendens
Solis divitibus medicinae suggerit usum.
Dum maces, muscum, muscatam, balsama, nardum,
Antophilos, aloës lignum, dum castora, myrrham,
Dum varias species et aromata multa recenses,
Quae parit ad rapidos soles Gangetica tellus,
Caesaribus solis loqueris, quos non nisi cara
Oblectare queunt, sterilesque excludis egenos.
Ergo res misera est et iniquae sortis egestas,
Quam solus mundus non respuit atque profanat,
Sed vitae regitiva suis prudentia donis
Privat, eam vilemque abiicit sterilemque relinquit. —
Stulte, quid exacuis vanis tua verba querelis?
Quod vitare nequis, est aequa mente ferendum:
Duritiam domat austerae patientia sortis:
Fit gravius, quod fertur onus cervice rebelli:
Pungeris invidiae stimulis si pungere quaeris.
Invidiae lex est nimis aequa, quod illius auctor
Mente crucem vitiis portat poenamque reatus
Supplicii iudex et fidus criminis ultor.
Te metis metire tuis: fit libera multum
Tutaque paupertas proprio quae fine tenetur:
Qui super angustas chlamidis se porrigit oras
Eius summa pedum denudat curta supellex;
Non aries bubulo frontis contendit honore,
Non celsae platano certat pinguina myrica,
Non lauro buxus, cedro rubus, alga ligustro:
Non saliunca rosae splendescere quaerit amictu.
Non sibi stella minor lunae praesumit honorem.

---

752) *Dermacis* π, Ls.; *D'macis* μ; lego *Dum maces.* — 759) *Prophanat* π, Ls. — 762) Glossa marginalis antiqua: Verba medici redarguentis pauperem de impatientia. — 772) *Horas* μ; *oras* recte G. — 774) *Bubalo* π; forsan *bubali.* — 775) *Pinguema marita* Ls.; *pinguina mirita* π; *pingma mirita* μ; posterius vocabulum facile *myrica* leges, prius autem vocabulum quid sibi velit, hucusque ignoro.

Provida res alias certo natura coërcet
Ordine, quod proprias noluit transscendere leges;
Rebus in humanis naturae regula fallit,
Cum rationalis animae vis coelica motus
Debeat humanos certis praestringere metis:
Masculus enormis sexus activa relinquens
Jura sui, dum passivos mollescit in actus,
Fit mulier, cum costa viri produxerit illam;
Naturae articulos mulier soloetica frangit,
Dum sibi grammatico similem ligat ordine sexum;
Ad patris interitum dominandi tactus amore
Filius aspirat et segnes increpat annos;
Jure thori rupto taedaeque oblita iugalis
Flagrat adulterio mulier, quae prodiga frontis
Fit caro venalis vili mandata macello;
Paupertas modicis arctari nescia metis,
Dum se transscendit, de libertate quieta
Servilem sibi commutat temeraria sortem.
At tu, quem mutilat, quem contrahit arcta facultas,
Quem paupertatis decidit apocopa: quare
Te fatuum certas extendere per paragogem?
Processum impediens tibi firma repagula ponit
Res angusta domi, qui cum sis mersus in imo
Non potes ulterius unda bullire suprema
Rumpere te poteris, sed non producere, si res
Aggrederis, quas ferre nequis: cur ergo querelis
Persequeris medicum vanis, quod non tibi caras
Exponit species, quas decolor advehat Indus
Delicias mundi pretiosis sumtibus emtas
Cur tibi praesumis? gratis brevis ordinis amplas
Cum tibi fundat opes, reparandae larga salutis
Munera cum dives sine munere silva ministret.
Plus aequo diffusa suum digressio cursum
Fraenet et inceptas Diacosti pagina laudes
Compleat atque suo tractandi tramite currat:

780) *Voluit* putat G. — 790) *Agnos* μ; *annos* G. — 791) *Tori* π. — 793) Forsan *mactata*. — 808) *Brevis ordinis* π, *pretiosis ordinis* Ls.

Cum vino bibitum, cui se nardina potestas
Intulit igniti per vim detorta caloris,
Frigida materies quas commassavit in unum
Eruit empico veteres de corpore sordes. —
Obice stranguriae clausam nephresique ligatam
Exerit urinam si, cui diuretica misces,
Cum vino detur ususque suus celebretur. —
Firmi iura status annus dat ei duplicatus.

DIAIRIS.

Guttur et arteriam, pulmonem, pectus et uvam
Ex causis gelidis afflicta iuvat Diairis,
Dissolvit gelidas tusses et frigore raucas
Voces clarificat et cantus plectra reformat.
Cum vino calido detur sub vespere sero. —
Jure sibi salvo toto producitur anno.

DIACODION GALENI.

Spargitur in geminas species Diacodion unum:
Sanguineum ventris contendit vincere fluxum
Atque lienteriae non iura intacta relinquit,
Et relucet claro Galieni nomine fulgens.
Cum roseo sumtum masticinoque liquore
Rheumata suspendit capitis, immota caloris
Ad loca pulmonis facili stillantia lapsu.
Nam contentivam vim roborat, atque calorem
Alterat, humorem spissat laxosque meatus
Stricturae reddit propriae solitoque tenori.
Hoc cave, ne dederis nisi corpore mundificato,
Rheumatici fuerit si causa repletio fluxus,
Quem contentiva si vis defecta, vel humor
Lubricus intulerit, his omnibus una medendi
Formula communis, ut cum vino tribuatur,

---

822) Inscriptio huius capitis apud Ls. est *Diauris*; in codice π *Diayris*; rectius *Diairis* seu *Diaireos*. — 823) *Dyayris* π. — 824) *Raucos* Ls.; *raucas* π. — 828) Duplex dari Diacodion, alterum, quod ad fluxum ventris faciat, alterum quod Galeni nomen ferat, monet Platearius, expos. in Nicol. f. 378 b. De posteriori solum hic sermo est. — 381) *At relicit* π, Ls. — 835) *Nam* π; *non* Ls.

Cum quo thura, rosae, mastix decocta fuere.
Hoc suspendatur, nec ab aegro suscipiatur,
Rheumaticum moveat si frigida causa fluorem.
Si mellis fuerit expers composque syropi
Cum gelida sumtum turbatos rheumate febris
Insomnes oculos somno demulcet amoeno,
Mulcebris ut cerebri requies tranquilla profundae
Otia pacis agat: muliebri lacte solutum
Ac opio mixtum, facto cataplasmate, frontem
Et loca, mobilibus quae pulsant tempora venis,
Ambiat, et clausis exclusa luce fenestris
Incumbat lateri patiens iaceatque quietus.
Fortiter afflicto, febrienti, ventre soluto,
Cum rosea si detur aqua vel cum pluviali,
Dat veram requiem membris oculisque soporem,
Temperat ardorem febris, fluxumque coërcet.

DIAPRUNIS.

Factum de prunis quod nomen habet Diaprunis,
Corpus habet varium, nunc simplex, nunc fit acutum,
Nunc mellis dulcore calet, nunc temperat ipsum
Zucera, quae blandi dat condimenta saporis.
Si simplex, cui se grati iucunda syropi
Temperies sociat, et amico foedere iungit,
Cum calida solvatur aqua, qua pruna Damasci
Coxeris et violae flores: et mane bibatur.
In febribus valide ferventibus et peracutis,
In triteis, synochis et causone grande salutis
Subsidium praestat: rubri nam fellis acumen
Temperat et saevam compescit caumatis iram.
Proiicit exustas festo de corpore sordes,
Ut tantis natura bonis adiuta resumtis

---

846) Si non cum melle, sed cum syrupo vel saccharo confectum est Diacodion. — 855) *Ventre π; febre* Ls. — 856) *Sedetur μ; si detur* G., cfr. v. 707. — 860) Diaprunis mox sine scammonio conficitur et tunc vocatur simplex, mox cum scammonio et tunc dicitur acutum; dein quoque mox cum melle, mox cum saccharo paratur. — 862) *Zucera* G.; *zuc'a μ.* — 863) *Iocunda π.* — 864) *Amicos π.* — 868) *Intritis sinotis et causone π: intritis sinochis et causo* Ls.; lego *in triteis, synochis et causone*, i. e. in febribus tertianis, continuis et ardentibus.

Viribus acceleret creticos celebrare labores.
Luce propinandum media, cum fonte recenti.
Sed tunc praecipue cum tempus, morbus et humor,
Haec cibus ardoris, quae praebet pabula flammis,
Aetas, forma, crasis, regio concinna videntur,
Et sibi concurrunt simili conformia nexu,
Adiiciunt igni stipulas, oleumque lucernae;
Ne febris ascendat, crescant symptomata, quartum
Incensiva gradum ne vis contingere possit:
Si tali certus non fiat tempore morbus,
Forte repressivum dandum est tunc, quando febrilis
Impetus acrior est et plus furit ira caloris. —

Huic medicamento tam blando sicque benigno
Adde diagridii stimulos: tarde gradienti
Subiice calcar equo: de simplicitate remissa
In laxativae surgit virtutis acumen,
Ex quo febrilis conflictus quinque peractis
Noctibus et morbi solvi nequeunte procella
Conveniens in hemitriteis purgatio fiet
Tempore brumali potius tunc, quando rebellis
Materies nec naturae sic humor obedit.

Quod de melle calet, seu lene sit hoc vel acutum,
Phlegmaticis confert; quibus est constrictio ventris,
His magis indulget: sed eis, qui febris acutae
Igne calent, nimis horrendum summeque nocivum.
Nam mel dyscrasiae stimulus fomesque furoris
Perniciem necis accelerat vitaeque ruinam.
Ergo luant facinus et quae discrimina mortis
Fraude sua plerumque alios incurrere cogunt,
Haec ipsi subeant, et mortem morte rependant,
Qui vendunt species et aromata, pharmacopolae,
Qui pigmenta colunt: qui dum sua pondera mutant,
Et trutinas fallunt, et formas conficiendi

---

874) Luce media i. e. meridie. — 876) *Heé μ; haec* G. — 877) *Concigna μ; concinna* G. — 880) *Synthomata π.* — 885) Antidoto Diaprunis etiam addi potest scammonium, et tunc dicitur Diaprunis acutum. — 894) Diaprunis, quod loco sacchari vel syrupi cum melle factum est. — 895) *Flatic̄ μ; fortaticum* Ls.; lego *phlegmaticis.* — 898) *Discrasiae π.* — 903) *Pharmacopoei* Ls.; *pharmacopolae π.*

Fraudis adulterio viciant, dum mella syropi
Compellunt supplere vices, dum noxia vendunt
Et bona testantur, medicorum nomina primo
Turpibus obfuscant titulis, hominumque salutes
Deiiciunt, perennant morbos aegrisque timendas
Accelerant mortes, et testamenta resignant.
Mors miseros depascat eos: sit lectus eorum
Flamma gehennalis, nisi versa mente dolosis
Artibus abiectis et proditione relicta
Ad rectum revocentur iter virtutis amore. —
Mel duplat huic annum, cui zucera subduplat aevum.

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

Currite, Pierides, incoeptam tramite recto
Instaurate viam, iam vos mora nulla retardet,
Quin coeptum peragatis iter, crebrescere coeptis
Est pudor: et finem nullis imponere rebus.
Si, quoniam pedites estis, via dura videtur
Et teneros fortasse pedes praedurus et asper
Calculus exurit, soleae per concava lapsus,
Cui dedit ingressum ruptae compagis hiatus:
Temperet ut poenam requies immixta labori,
Ut melius placeat nox intercisa sereno,
Ut planctum risus interpolet, otia curam,
Gaudia tristitiam, splendor caliginis umbram,
Qui fessos recreet, qui vos cum mente benigna
Excipiat, reparet defectus, damna reformet,
Frugifero placidi vos compluat imbre favoris:
Vos nullus pudor impediat doctoris adire
Renaudi sedes, quem longi temporis usus
Foecundumque magis vetus experientia fecit,
Qui non insipidos, qui plantae more novellae

---

910) *Perimunt* π, Ls.; lego *perennant.* — 913) *Gehemnalis* π; i. q. infernalis. — 17) Renaudus, medicinae doctor Monspeliensis, serioribus vitae annis monachus.

Non profert acidos fructus, sed quos bene coxit
Assiduus studii labor et meditatio longa,
Qui Pessulani pridem vetus incola Montis
In medicinali doctor celeberrimus arte
Jura monarchiae tenuit, sed spiritus almus
Nunc elegit eum: de sedibus orta supernis
Coelica conversam condivit gratia mentem,
Rore suo perfudit eum, qui gaudia mundi
Lucra, voluptates, qui divitias et honores
Ut nebulae fumum reputans instarque pruinae,
Postpositis rebus vanis, Hipocrate relicto,
Justitiae miles, austeri censor honesti,
Convolat ad Christum, qui fons et origo salutis.
Vera quies lapsis, qui portus et anchora vitae,
Qui navis, naulum, vector, dux, semita, littus,
Catholicae Dux militiae, braviumque triumphi.
Hic in se Domini vexilla gerens crucifixi
Se macerat tollitque crucem, de vate propheta
Et novus ex medico fit Apostolus: et medicinae
Cum prius extiterit opifex magnusque professor,
Exprimit ipse novum Lucam, Cosmamque figurat,
Veraque pauperibus aegris munuscula gratis
Sedulus impendit, nec solum morbida sanat
Corpora, sed curat morbos et vulnera mentis.

E S D R A.

Esdra pares habet effectus, se laudibus aequis
Provehit et titulis effert, quibus Aurea splendet;
Unde stilo breviore loquar de laudibus Esdrae,
Quam sua virtutum censeri gloria vellet,
Nam mea totius in prima fronte libelli
Dives praecessit foecundo pagina versu
De titulis Esdrae, quibus Aurea convenit illi,

---

33) *Lassis* G., Ls.; *lapsis* *μ*, *π*. — 35) Bravium, *βραβειον*, praemium victoriae, quod in publicis ludis dabatur. — 36) *Crucifixo* *μ*; *crucifixi* G. — 39) *Plus* *μ*; *prius* G. — 40) Lucas Evangelista et St. Cosmas medici fuisse dicuntur, cfr. v. 1104. — 42) *Solum* G.; *sol'* *μ*. — 47) *Quae* *π*, Ls.

Non nisi privatas, proprias magis et speciales,
Quam nobis positas, opus est describere laudes.
Quod sine phlegemone fuerit febrisque calore,
Omne malum, cui frigiditas vel frigidus humor
Substramenta facit, Esdrae celebratio curat.
Vim rationalem, quam turbidus impedit humor,
Cum nuce muscata si detur, liberat Esdra,
Atque oculum mentis depulsa nube serenat.
Cum gentiana iubet antidotarius Esdram
Offerri, licet hanc plus pectoris esse salubrem
Quam capitis probet effectus: sed aromata sensus
Expediunt, cerebrum depurant, vim rationis
Exacuunt, ab eis sua spiritibus reparatur
Integritas, cerebrum blandis afflantibus auris,
Thuris et antherae, cinamomi pulvere mixto
Esdra sibi confert uvae subnixa cadenti,
Laxatam relevat, et ab omni rheumate siccat
Ac illi propriae sedem stationis amicat.
Cum sapa et tepido si dissolvantur aceto
Et prope rheumaticae patiens primordia causae
Gargarizet eam subita squinance gravatus,
Rheumatis incursum de se fugat atque repellit
Et mala venturi vitat discrimina morbi.
Radicis portulacae sibi pulvere mixto
Ragadias superuncta cuti, quas aridus humor
Atque melancholicus vel temporis aura creavit,
Glutinat et solidat compagine dumque sigillat;
Dictus idem faciet pulvis cum melle iugatus.
Scissuras cutis ex cholera non corripit Esdra
Dividit extremas largo discrimine partes:
Inflammat choleram, membrum succendit et urit.
Non fervore hepatis natos in caumate fellis
Corporis incertos delet sine febre colores,

---

51) *Non nisi privatas* π; *provatas* Ls.; unde codex MS. Hamburgensis male fecit *probatas.* — 52) *Quas nobis* Ls.; *quā non* π. — 53) *Phlegemone* π. — 66) *Submixa* μ; *subnixa* G. — 74) *Pornilace* π. — 76) *Citavit* G.; *c'avit* μ; *creavit* Ls. — 79) *Scissivas* π: *scissuras* Ls. — 82) Icterus non febrilis.

Quos intrusa viis grossa et viscosa creavit
Materies, prohibens sua respiracula felli.
Cum tepida detur, cum qua ceterach, adiantum,
Hepaticam, cervi linguam, Venerisque capillum,
Polytrichum, marathrum decoxeris et petrosillum.
Quae data cum vino de cappare, de tamarisco
Spleneticum sanat, lateris cui parte sinistra
Massa melancholicae faecis conclusa tumescit,
Et loca distendens tumulum conscendit in altum:
Digestiva tamen moveant praeludia curae:
Mollia praeveniant unguenta, cathartica solvant,
Quae mollita prius fuerint, postrema salutis
Complementa parat Esdrae sollemnior usus.
Post celebrem laxativi medicaminis usum
Haec sero data cum vino resoluta tepenti
Arteticam longam patientibus atque podagram
Articulos a rheumaticis incursibus arcet.
Cum maturato pariendi tempore foetus
Pondere rupta gravi sunt vincula, causa doloris
Cum superexcedens distensio vulnerat alvum,
Corporis excessu maioris, vel pariendi
Scemate non apto, quando compage soluta
Egreditur proprios naturae ianua vectes,
Fractae matrici cum pulvere subdita thuris
Vel si cum tepido detur potata Lyaeo,
Ex vitio partus laesos corroborat artus:
Rupta ligat: fracta solidat: laxata coërcet:
Mitigat et lenit sensum viresque doloris.

---

84) *Creavit* Ls.; *c'avit* μ. — 85) *Respicula* π, Ls. — 86) *Ceteras adimantum* G.; *cet'as adianū* μ; *ceteras adrianum* Ls.; lego *ceterach*, *adiantum*. — 87) *Epancam* π, Ls.; lego *Epaticam s. Hepaticam*. — 88) *Politritum mantrum* π; *politritum maratrum* Ls.; *ma'trū* μ; lego *polytrichum* etc. *Protrosillum* π. — 89) *Capare* π, Ls. — 90) *Salat* μ; *sanat* G. *In parte* Ls.; *cui parte* π. — 99) Arteticam i. q. arthritidem. — 106) *Vectes* Ls.; *uectes* μ; forsan sensus est: si vulvae orificium per rupturam perinaei in hanc regionem continuatur, igitur vectes suos seu pessulos egreditur. Platearius (expos. in Nicol. antid. f. 380 a) habet: „ad dolorem post partum, qui fit ex solutione continuitatis retinaculorum ex magnitudine foetus elongantis pudenda praeter modum et elargantis etc." — 107) *Turis* Ls.; *curis* μ; *thuris* G. — 110) *Laxata* μ; an *luxata* quaerit G.

Rheumate currentes aures lavat atque dolentes
Confortat dentes et inuncta iuvat parientes
Sub licini specie tentae sibi nacta figuram
Illita musceolo bombax tingatur in Esdra.
Haec cum rheumaticas per noctem visitat aures,
Siccat et emundat saniem, tollitque dolorem:
Vel si rheumaticam guttatim compluat aurem
Esdra soluta mero vel musceleata iuvabit.
Rheumate percussis gelidoque humore gravatis
Dentibus occurrunt, gingivis inde perunctis.
Aemula naturae lucis quando pariendi
Fine suo complere nequit Lucina laborem,
Cum Dea quae partus exstat paranympha fidelis
Vernula naturae nunquam conatibus ullis
Praevalet, ut puerum mandet vitalibus auris,
Sed magis urgetur mulier, magis excruciatur:
Non iuvat accubitus, non sessio, non iuvat illam
Gressus inaequalis, non deportatio dispar,
Non confert sonus exilis, non clamor acutus,
Quaeque aliis conferre solet, quae parturientes
Expedit, ut pariant, nulla hanc compressio vocis
Adiuvat alturam constrictis dentibus acta,
Provida non confert flatus cautela retenti,
Quae gemitus partes detrudit ad inferiores;
Qui super hanc psalmos et nomina sacra recenset,
Non valet hic raso caput inclinare luperco.
Dum male sic cruciat gravidam labor anxius alvum
Et partus leges superat vis saeva doloris,
Huic causae oblata rutae vino sociata
Esdra propinata satis est medicina probata,

---

112) *Laudat* μ; *lavat* G. et Ls. — 114) *Sub licini specie dente* Ls.; *sub licini specie tente* μ; lego *tentae* i. e. turundae, lingua Gallica tente. — 115) *Bonbax* π. — 118) *Gutatim* π. — 124) *Per ampla* μ, π, Ls.; lego *paranympha*, cfr. infra v. 471 et carm. de pulsibus v. 218. — 127) *Ungetur* μ; *urgetur* G. — 133) *Alturum* π, Ls.; lego *alturam*, quamvis locum hunc obscurum emendare non audeam. — 134) *Flatus cautela recenti* Ls.; *flatus cautela recenti* μ, π; lego *cautela retenti*. — 137) *Hoc* π, Ls.; *h'* μ; cfr. v. 563 huius libri. — 140) *Haec* π, Ls. *Vitae vino* π, Ls.; lego *rutae*; Platearius (expos. in Nicol. antid. f. 380 a) habet: „datur cum vino rutae artemisiae."

Cui si mandata vis est arthemesiata
Non minus est grata, minus apta retundere fata,
Sive sit ore data, vel in ima parte locata.
Ex Esdra cum musceleo, cui iura recentis
Sint arthemesiae commixta, dolens patientis
Alvus inungatur, partus magis acceleratur:
Sed cito tollatur, ne maior poena sequatur,
Si dissolvatur et matrix egrediatur.
Haec tibi subsidia viridis facit arthemesia
Si bene pistata fuerit femorique ligata,
Difficilis plerumque movet discrimina partus:
Primula, quae rudis est et adhuc tiruncula, nullum
Partus passa iugum, nondumque assueta labori,
Quae quia non leges pariendi et scismata novit,
Est gravis ad partum, quamvis experta iugales
Illecebras et carnalis commercia nexus.
Nam Venus et partus non aequa lance moventur,
Quod si cum Venere pedibus procederet aequis
Partus, ad incestum mulier sine lege, soluto
Luxuriae fraeno, rueret: sed lex pariendi
Ardua, quae magni est discrimine plena doloris
Et vitii praeco culpam sine voce profatur,
Fraenat et a vetitis multas amplexibus arcet.
Promptula, praeproperans ac immatura libido
Quaeque morae impatiens pigros non sustinet annos:
Quae celeres aetatis equos velocior annis
Praevenit et rapidis aetatem praevolat alis,
Jam non expectans naturae puberis aevum,
Nondum completis puerili in corpore membris,
Dum Veneris motus et nexus sentit amoenos,
Conceptum celebrat stimulo suadente caloris.
Dura sed exlegis coitus Lucina reposcet
Supplicium, culpae tortor vindexque reatus,

---

143) *Recondere* π; *recundere* μ; *retundere* G., cfr. l. I. v. 518. — 144) *In una* π, Ls. — 145) *Misceleo* π, Ls. — 151) Pistata i. q. contusa. — 152) *Plerunque* π. — 153) Prima causa difficilis partus. — 154) *Nondum* μ, π, Ls.; *nondumque* G. — 156) *Est* π; *et* Ls. — 160) *Partus et* μ; *ad* vel *in* G. — 165) *Immaturata* μ; *immatura* G. Secunda causa difficilis partus. — 172) *Conceptam* π. — 173) *Coitu* π, Ls.

Praeproperae Veneris oblectamenta profanans,
Aetatis nondum completae vascula damnans,
Officiis minus apta suis, licet acrius illis
Et magis insistat hominum perversa voluntas.
Corporis effigies fragilis, consumtio, virtus
Debilis ex causis non naturalibus acta
Cum dispensandae Veneri minus apta probetur,
Quam Venus accusat, pariendi regula damnat.
Praepinguis mulier nimium carnosa vel in se
Conceptum nunquam clausa matrice monetat,
Vel gravis est partus, quoniam pinguedo meatus
Oppilat clauditque vias portamque sigillat,
Nitenti in lucem carnosa repagula ponit.
Interdum grossus viscosi sanguinis humor
Tempore conceptum qui praecurrente fluoris
Non habuit celebrem cursum lunaribus horis,
Sed fecit plenas tensasque tumore saphenas
Non sinit exponi fetum vitalibus auris.
Illud idem plerumque tumor vel apostasis infert,
Hoc naturalis parvae strictura monetae.
Saepe biceps fetus erit, aut magno capitatus
Vertice, vel totus magnus, vel hydropicus, aut tres
Aut gemini miserae vexabunt viscera matris.
Mortuus aut vivus non recto scemate nascens
Non minus excruciat miseram torquetque parentem.
Cum partus fore dissimilis discrimine plenus
Ex causis gravibus perpenditur atque probatur,
Motibus in primis circa praeludia partus,
Per crebros iterata vices fomenta, vapores,
Balnea praecedant, vires quibus ista ministrent:
Cum branca, malva, linochidis atque savina,
Abrotanum, ruta, linum, simul arthemesia

179) Tertia causa diff. part. — 180) *Acta* π, Ls.; forsan legendum *orta*. — 183) Quarta causa diff. part. — 188) Quinta causa diff. part. — 190) *Celebrem* μ; *celerem* putat Gudius, non bene, nam celebris hoc loco idem est quod consuetus, solemnis, regularis. — 191) *Sophenas* π, Ls. Venae saphenae varicibus plenae. — 193) Sexta causa diff. part. — 194) Septima causa d. p. — 195) Octava causa d. p. — 197) Nona causa d. p. — 198) Decima causa d. p. — 205) *Sabina* π, Ls.; *savina* μ.

His simul admiscens graecum cum dannide foenum.
Horum perfundat molles decoctio lanas,
Quarum congeries effuso pressa liquore
A laterum regione gravem circumliget alvum,
Donec ad extremas pertingat pectinis oras,
Musceleo calido coxis et ventre perunctis,
Debet adaptari species ophthalmica nari
Pulvere diptanni mixto cum pondere dragmae
Castorei, foeni potetur apozema graeci:
Vel, si dives erit, cum vino balsama mixto
Ad medii pondus scrupuli potanda propines:
Debilibus Diamargariton Rhodozaccara dentur,
Et facies languens roseo se compluat amne.
    Quos sonus asthmaticus, quos tussis pulsat anhela,
Si curare velis, haec potio summa medela,
Et data cum ptisano facit aegrum corpore sano. —
Ad serpentinos morsus valet atque caninos
Ex ipsa et succo menthae cataplasmate facto
In potu sumta magis est ad talia promta.
    Esdra diu manet in stabili proprioque vigore,
Factaque septennis sese transscendit et ultra
Quae primo fuerat validos grandescit in actus.
Sed tum a multis falsa sub imagine veri
Astruitur, quod parva nimis, quod nulla sit huius
Antidoti virtus: ubi namque coit specierum
Tam discors synodus, ubi tot confusio rerum,
Singula subvertit numerus: meritumque vigoris
Et toti partes et totum partibus aufert.

ELECTUARIUM PLIRIS ARCHONTICUM.

Cum Diamargariton satis est Pliris una potestas,
Concolor effectus et collateranea virtus.

---

207) *Credannide* π, Ls,; *cerdamnide* G.; lego *cum dannide* seu *daphnide* i. e. lauro. — 211) *Protinus horas* π, Ls.; lego *pectinis oras*, i. e. usque ad pubem. — 213) *Obcalmica* μ; *obealmica* Ls. — 215) *Apormia* π; *apozima* μ. — 225) *Potus* μ; *potu* G. — 230) *Quae parva* π. — 234) Cfr. Platearii expos. in Nicol. antid. f. 380 b. — 235) Inscriptio apud G. *acerticum*; apud Ls. *arcreticum*; in cod. μ *arc'ticum* quod lego *archonticum*. *Plirisima parcas* π, Ls.; lego *pliris una potestas*. — 236) *Cum color* π, Ls.; lego *concolor* i. q. similis. *Collatan'a* μ; *collateranea* G.; *collectanea* Ls.

Illud enim quia rarius est, licet ambiat aulae
Sublimes dominos, et ei sit gloria maior,
Divitibus magnis vitam servare salubrem:
Huic quamvis humili proprium partitur honorem
Officiique sui non dedignatur habere
Participem, cum se illius praesentia causae
Subtrahit, haec causam dirimit litemque soporat.
Si Pliris affectas veras cognoscere laudes,
Ex titulo Diamargariton sua forma relucet.
Nobilium tangens apices et culmina regum,
Nobilibus Diamargariton sua dona ministrat:
Se Pliris axe volans medio mediocribus offert:
Serpit humi sua pauperibus dans dona Dianthos,
Nec minus ex humili recreatur munere pauper,
Quam medius medio vigeat, quam divite dives. —
Cum Diamargariton vires partitur et annos.

ELECTUARIUM DUCIS.

Quae Ducis Apuliae titulo signata superbit
Subvenit iliaco celebris medicina dolori,
Quem lapis ex multis generat massatus arenis,
Cum calido potata mero, quod robur adoptet
Saxifragae, milii solis, lapidum quoque lyncis:
Pars quoque, quam maior cruciat pressura doloris
Se contra morbum scuto cataplasmatis armet,
Cuius naturam substerne Ducis medicamen,
Miscens musceleum, succum cressonis, olivum.
Si non muscelei sit copia tanta liquoris,
Emplastri modica pressum de parte liquamen
Balsama commiscens tenui mediante syringa
Per fragilem ductum virgae transfunde virili. —
Si cholerae vis saeva malum viscosa resolvens
Inferat et tumidis gravet intestina procellis,

---

240) *Hinc* Ls.; *huic* π. — 241) *Officiique* π; *officiisque* Ls. — 243) *Dimit* π; *d'imit* μ. — 253) Inscriptio apud Ls. et in codd. μ et π est *Electuarium dulcis*, recte *Ducis* putat Gudius, quod iam versibus 253, 260, 268 confirmatur. — 254) *Illiaco* π, Ls. — 255) *Harenis* π. — 257) *Lintis* μ. — 260) *Naturam substerne* G.; *subst'ne* μ; melior lectio adhuc exspectatur. — 263) *Epli'* μ; *exempli* π; *emplastri* Ls., cfr. l. 2. v. 710.

Non confert medicina Ducum, sed sumta furentem
Exacuit choleram, causamque doloris acerbat.
Si dolor ex squibalis, vitreo vel phlegmate fiat
Turbine ventoso clausos pulsante meatus,
Haec data simpliciter nimium medicina nocebit.
Nam sua cum valde constet diuretica virtus,
Dum movet urinam tendit constringere ventrem
Et pigra lentescit in fecibus eiiciendis,
Sic dolor augetur, dum constipatio crescit.
Serviet huic medicina malo, totamque doloris
Immodicam valide poterit subvertere causam,
Per minimas partes sed per totum resoluta
Cum calida potetur aqua, qua pruna Damasci
Coxeris et violae flores cum mercuriali:
Quae sibi mel, oleum si misceat et Benedictam
Amne soluta maris, ubi malvam, mercurialem
Coxeris et virides ramos cressonis aquosi,
Pro clystere locis confert infusa pudicis.
Ex algore satus stomachi dolor ante profatus
Sollicitare latus ventosi turbine flatus,
Quamvis iratus, quamvis ad bella paratus,
Hoc semel afflatus sedat poenam cruciatus:
Jeiuno stomacho potabitur addita Baccho,
Nux ubi muscata decocta sit et macerata.
Enphraxes aperit: lapides terit, et resolutos
Exerit, iliacam dissolvit, menstrua solvit:
Quem si vis acuit euforbica vel scamoneae
Masticis imperio gummique coërcita virtus,
Et mollis clysteris eam praecesserit usus
Solvens obiectae praedura repagula fecis,
Sumta per os colici solvit discrimina morbi.
Hoc tenet et firmum generali lege tuetur
Regula doctrinae, quam non phantasticus error,

---

268) *Fruentem* Ls. — 270) *Squibali* π; *squibal'* μ; i. q. scybala. — 275) *Fetibus* μ; *faecibus* G. — 281) *Coxis* μ; *coxeris* G. — 283) *Anne* μ, π, Ls.; *amne* G. — 285) *Per clistere locum* μ, π, Ls.; lego *pro clystere locis*. — 290) *Baco* π, Ls. — 298) *Calici* μ; *calidi* G.; *colici* Ls. — 300) *Quem* Ls.; *quam* π.

Non mendax, non vana doli fallacia fuscat:
Quod nunquam danda est medicina cathartica ventri,
Cuius durities constipativa recessus
Obstruit et primae serat emunctoria portae:
Praecipue quando colicus praecordia morbus
Pulsat et iliacae saevit discordia pestis. —
Vis eadem simile efficiens et aemula virtus
Est Nephrocathari, Philoanthropos et Lithotripti,
Nec laus Justini premitur virtute priorum. —
Postquam signiferum sol bis peragraverit orbem
Praevenit ad metas huius medicaminis aetas.

ELECTUARIUM PSYLLITICUM.

Militat adversus choleram certamine primo
Psylliticum, salsum ferit ictu phlegma secundo:
Postremo choleram congressu vincit adustam.
Expugnat cholerae vires iaculo scamoneae,
Quam trahit ad choleram parilis cognatio formae,
Unio naturae similis, germana potestas.
Cum res incolumes stabili sub robore firmas
Nexus amicitiae formalis copula servet,
Cur choleram scamonea fugat, cur hostis iniqua
Persequitur sibi consimilem, quam foederat illi
Una crasis similisque sapor, substantia concors?
Fax cibus est ignis, calcar stimulusque lucernae
Est oleum, febris nutritia potio vini,
Crapula luxuriae fomentum; crescit acutis
Fellea materies epulis, dulcedine sanguis,
Rebus ab insipidis exundat phlegmatis humor;
Thetios unda vagae gremio diffusa capaci
Amplexu placido venientes colligit amnes:

---

302) *Quae* π; *quod* Ls. — 308) *Nefrocatari filo Antropos et Licotripi* μ, Ls. — 312) Inscriptio huius capitis apud Ls. et in cod. π est: *Quos humores psilisticum habeat purgare.* — 313) *Silliticum* π. *Salsuum* π. *Ictu* π. — 315) Sequitur nunc usque ad versum 386 indagatio dialectica ad mentem scholasticae philosophiae: cur scamonea similis cholerae nigrae hanc tamen possit e corpore educere. — 317) *Vivo* Ls.; *unio* π. — 318) *Arbore* Ls.; *robore* π. — 325) *Cur pila* π; *crapula* Ls. — 326) *Cell'a* π; *Cettera* Ls., lego *Fellea.*

Quae per res alias communi lege vagatur,
Nec scrupulum patitur, sed plano tramite currum,
Decolor in cholera naturae regula fallit,
Quam sibi consimilem tanquam scamonea rebellem
Indignata simul sub eodem carcere claudi,
Destruit et sociam crudelis, inhospita pellit.
Non viget haec ratio, nec firmo nixa tenore
Claudicat incerto mendax sententia gressu:
Non sequitur, quia res alii concinna, quod illi
Debeat augmenti, quasi coniurata, favorem.
Impetrat augmenti provectum gratia maior,
Plenior assensus de pluribus insita formis
Unio naturae convertendique potestas;
Transitus ut fiat non unica forma perorat.
Nam mutativae virtutis filia rerum
Transformat species metamorphosis ordine motus
Procedens triplici: nam cum substernitur illi
Consona materies concordi pace favoris
Artifici blandita suo, quem materiato
Jungit et assimulat naturae linea concors:
Tanto materiae virtus famulantis amore
Immutata suum non ultra protrahit actum:
Non ultra petit inducias, iam se applicat illi
Obsequio devicta suo, iamque excolit illam
Hanc movet et partes medias transponit ad imas,
Depressas trahit ad medium, mediana supremat,
Summas inculcat mediis, lateralia summis:
Instabiles nimiumque vagas, formasque forenses
Naturae famulas exterminat atque relegat.
Cum substantivis magna est contentio formis
Luctaque difficilis, quas naturae generali
Fortius adnexas et amico foedere iunctas
Corpore subiecti iurisque charactere salvo
Conversiva nequit penitus subvertere virtus.
Nam sic esse rei formae coniurat amice

333) *Scarmona* Ls.; *scamona* π. — 335) *In sociam* Ls.; *et sociam* π. — 354) *Monet* π; *movet* G. — 359) *Contemptio* μ; *contentio* G. — 364) Scilicet *το* esse, i. e. essentia, das Seyn.

Et sua subiecto sic est uxoria forma:
Tanta relativi ligat haec connexio nodi,
Quae sese posita ponunt tolluntque peremta,
Pendet ab alterutro viget et consistit utrumque
Quae facit esse rei, quae rem confirmat et ipsam
Constituit speciem, subiectum quando relinquit
Forma suum corruptibilem substantia lapsum
Denascens patitur alioque repullulat ortu.
Quae vestita licet multis ab origine prima
Formarum interulis, propriaeque uxoria formae
Inque pudicitiae signum dotata monili,
Natura cogente sinu discincta soluto,
Appetit amplexus alios, nova basia quaerit,
Prostat et externae se iungit adultera formae,
Et male fida thori, contemto coniuge primo
Denudata novo nubit nova sponsa marito.
Talia multiplicant cholerae sponsalia vires,
Cum cibus aut potus similis, vel proximus humor
Cum formam generat choleram virtute caloris.
Hoc scamonea nequit, cum solius medicinae
Vendicet officium, cui nullum materialis
Humorem ligat aut membrum concordia nexus.
Armant Psylliticum virtus rheubarbara, fumi
Semina terreni, quercus radicula, parvis
Obsita cubilibus, filicis mentita figuram:
His armis medicina potens cum phlegmate salso
Persequitur choleram, quam denigravit adustus
Fervor et Aethiopis formam simulare coëgit.
In febribus, quae de cholera vel phlegmate salso
Prosiliunt, celebrem poterit praestare medelam,
In quibus induciae, quibus intermixta procellis
Aura placet, quibus inter nubila dulce serenum
Per varias alterna vices, quibus hora quietis

---

387) *Stillitium* π, Ls. — 388) *Quacrens radicula* π; lego *quercus*, cfr. v. 825, loquitur auctor de polypodio. — 390) *Falso* π, Ls.; lego *salso*, cfr. v. 313, 393 et alibi. — 391) *Denigravit astus* μ; *denigraverit aestus* G.; lego *denigravit adustus*, scilicet sermo est de cholera, quae fervore adustionis denigrata est: atra bilis. — 392) *Atropis* μ, *Aethiopis* G. — 393) *Febris* μ; *febribus* G. *Falso* Ls.; *salso* μ.

Intercisa gravi succedit grata labori,
Compensatque mali poenam redimitque dolorem:
Simplicibus triteris, et quos duplicata creavit
Materies, impendit opem curamque ministrat:
Sed cave, ne macies languens humoris egena
Pellibus ossa premat, ne mortis praeco senectus
Corpus aret rugis, ne parva et languida virtus
Orphana spiritibus tanquam mendica laboret,
Ne calor urat hepar, ne corpora congelet algor,
Nec nimios moveat flagrantia temporis ignes.
Si stabilis virtus, habitudo plenior, aetas
Integra virtutum firmo completa tenore:
Si reliquis certo respondeat ordine tempus
Et sanum consistat hepar, medicamine fiet
Psyllitico dictis purgatio congrua causis,
Suspecti quam nulla mali movet altera, nulla
Concutit anxietas casus male fida futuri. —
Psylliticum synochus refugit causonque profanat:
Continuus triterus accessum illius abhorret,
Quem labor assiduus et continuatio poenae
Esse negat tritinum, sed eum tritinum probat esse
Acrior insultus et saevior ira caloris,
Quam movet et replicat et quam lux terna revolvit.
    Psylliticum motum rancoris, acuminis iram
Acris et austerae trahit ex cumulo scamoneae.
Usum hunc si medici nimis ausa licentia recto
Devia iudicio misero concesserit aegro,
De cholera factus cruciat quem morbus acutus,
Exacuit morbum, febrilia caumata pascit,

---

399) Scilicet in febribus intermittentibus. — 400) *Citavit* G.; *c'avit* μ; *secavit* Ls.; lego *creavit*, cfr. v. 76. — 405) *Labore* Ls.; *laboret* μ. — 406) *Contegat* Ls.; *congelet* μ. — 407) *Pectora* Ls.; *pectoris* μ; adscriptis in eodem codice ad marginem: *al. t'emp'ris*; lego *temporis*, nam Platearii expositio in Nicolaum (cod. Paulin. 1223) habet: „vel tempus nimis calidum fuerit," et noster v. 410 ipse de tempore loquitur. — 412) *Sillitico* π, Ls. — 415) *Pstilliticum sinocus* π. — 416) Continuus triterus i. e. febris tertiana continua, quam ob assiduam morbi vehementiam vix pro tertiana haberes, nisi quovis tertio die acrior insultus et exacerbatio intraret. — 421) *Pstilliticum* π. — 422) *Tumulo* π, Ls.; lego *cumulo* i. e. ex additamento, cfr. v. 639. — 423) *Unum hic* π, Ls. — 425) *Cum* Ls.; *quem* π.

Vasaque febrifico late succensa calore
Amplius accendit atque ignibus adiicit ignem
Et creticos certo disturbat ab ordine motus.
Hoc situs humoris, non forma facit, quia formae
Congruit humoris cholerae virtus scamoneae:
Sed locus hanc reprobat et detestatur eandem
Vasorum regio cholerae putredine fervens.
Cum furit in venis vis fellea solaque morbi
Materiam infundat, nullusque forinsecus humor
Phlegmatis occurrit, cholerae qui fraenet acumen,
Fit morbi brevior cursus, conscendit in altum
Impetus ardoris, vis saeva caloris acuti
Suspecti subito causam discriminis infert:
Unde sibi natura dari poscit medicinam,
Quae non materiam sed solum expugnet acumen,
Quae iuvet et recreet, ipsumque refrigeret aestum,
Quae dyscrasiae febrilis caumate strictum
Lubricet et solvat blando moderamine ventrem.
Parvus hemitriteus hyemis quem turbidus algor,
Et similis regio brumae germana retardat,
Et lentae craseos torpore pigrescere cogit,
Hospitii ne spargat opes, ne prodigus hospes
Naturae bona dilapidet, ne segnior hostis
Corporis enervet lento cum Marte vigorem,
Colluctata diu longo defessa labore,
In vanum multis conatibus ante peractis,
Octavo decimoque die medicamine debet
Psyllitico ne deficiat natura, iuvari.
Ad choleram, si tempus erit, foecundaque morbi
Materies pateatque suis digestio signis,
Mulcebris et blanda levis est decoctio danda
Congrua naturae morbi, de qua semel aut bis
Octavo decimoque die purgatio fiat;
Quam si forte suos motus nihil ante peractis

---

430) *Humanus* G., Ls. — 431) *Humanae* G., Ls. — 435) *Materia* G., Ls. — 445) *Emitriterus* π; *quam* π. — 447) *Crasos* μ; *craseos* G. — 449) *Dilapidet* π. — 454) *Sillitico* π, Ls. — 455) *At* π. — 456) *Poteratque suis digestio* π, Ls.; lego *pateatque suis digestio*, cfr. v. 772; l. 4. v. 1493, 1502.

Tranquillata bonis febris importuna revolvat,
Atque novas acies et bella secunda minetur:
Psyllitico, ut curam felici compleat actu,
Mandetur veteris lis decidenda querelae
Et causam dirimat et perdita iura reformet.
Quamvis perplexum dubiae discrimine sortis
Hunc celebri ritu medicandi provida morem
Excolit et digne veneratur terra Salerni,
Urbs Phoebo sacrata, Minervae sedula nutrix,
Fons physicae, pugil eucrasiae, cultrix medicinae,
Assecla naturae, vitae paranympha, salutis
Pronuba, fida magis Lachesis soror, Atropos hostis,
Morbi pernicies, gravis adversaria mortis:
Quae quia perpetuum gessit cum morte duellum,
Nec segnem sine Marte potest deducere vitam,
Ut sibi materiam certaminis atque laboris
Vendicet et nullo pacis torpore quiescat:
Letifera regione sedet sub sole calenti
Rupibus astriferis celsum coeloque propinquum,
Audaci nimirum scandentibus aethera dorso:
Arcet et excludit gelidi spiramina venti
Castigata situ: pendens de colle supino
Incumbit pelago, sua quod muralia radit
Exstantesque domos ludentibus assilit undis.
Montibus excelsis retro clipeata vapores
Et nebulas pingues et solum combibit austrum
Foedaque corrupti carpit contagia coeli:
Sed medicinarum, sibi quas montana ministrant,
Urbs iaculis armata viget: cum morte potenter
Dimicat: exstirpat morbos et fata retundit:
Naturam relevat, et stamina rupta renodat:
Mortis regna premit, cum qua componere quamvis
Non valeat, petit inducias et protrahit aevum,

---

466) Salernitani medici hac medicandi ratione saepius utuntur, quamvis sit discrimine plena. *Perplexam* π, Ls. — 468) *Digna* Ls.; *digne* π. — 469) *Minervae* G.; *mimine* μ; *numine* π; cfr. l. 1. v. 71. — 470) *Altrix medicinae* Meza tentam. hist. med. Pars 1. p. 174. — 474) *Quae iam* Ackermann regim. Salern. p. 1. et Meza l. c. — 479) *Rubibus* μ; *rupibus* G. — 486) *Solvum* μ; *solum* G. — 488) *Ministrat* μ; *ministrant* G.

Et quae non aufert, ventura pericula differt.
Quae nisi tam foecunda foret tantisque vigeret
Consiliis, illam physicae nisi Delphicus artis
Spiritus implueret, absorpta voragine mortis
Nec cursum bullire valens miseranda periret.
Sed bene ut pugnes bene pugnans efficit hostis,
Pollet in adversis maior solertia rebus,
Ingenii semen miserae tolerantia sortis
Crescere compellit, sensum foecundat egestas,
Nec languere sinit animi turbatio vires;
Agmine morborum quo plus afflicta gravatur,
Et variis trahitur plagis, hoc ipsa resistit
Fortius et validas pugnandi cogitat artes,
Et cum Psyllitico morbos transfigit acuto.
O si tantum armis, quantum virtute vigeret,
Bellandi quantum medicandi praeminet arte:
Non ea Teutonici posset trepidare furoris
Barbariem: non haec gladios nec bella timeret.
    Ante datis divisivis, quae postulat humor,
Potio Psyllitici si detur tempore veris,
Corpora praeservat a morbo sana futuro,
Quae dominans cholera disponat solitus humor
Phlegmatis, hostilis cholerae consortia passus:
Quae si forte velit partes purgare remotas,
Sub solida, quam praestat ei confectio, forma,
Si vomitum moveat levis indignatio ventris,
Ut sopor accedat, media de nocte propines:
Si gravis ad vomitum stomachus, si per medicinam
Expediat loca purgari contermina ventri,
Ne sua vis pereat exclusa pace soporis,
Mane propinanda est tepido resoluta liquore. —
Psylliticum dare cum gelida prohibet rationis

---

497) *Absorta* π. — 499) *Uti* π, Ls. — 503) *Et* π; *nec* G. — 504) *Augmine* μ; *agmine* G. — 508) *Armis* π. — 512) *Divisinis* μ. — 513) *Solliciti* π, Ls. — 515) *Sola humor* π; *sola tumoris* Ls.; lego *solitus humor*, quamvis locus adhuc obscurus maneat, et forsan vox *cholera* in aliam mutanda sit vel etiam ita legendum: *Quae dominari disponat solitus humor*, cfr. v. 821. — 517) *Velit* π, Ls.; forsan *velis*; ordinem versuum turbatum puto et ita restituendum, ut versum 517 excipiat versus 519, hunc vero v. 518.

Regula, quam veterum celebrat sollemnior usus;
Publica sollemnem tenet haec sententia cursum,
Cum gelida quod nulla dari debet medicina,
Aspera quam saevae vis exacuit scamoneae:
Nam gelidae virtus ascetica dum scamoneam
Inviscat stomachi villis prohibetque resolvi,
Torturas, febres generat, nimiosque dolores
Et dysenteriae fluxu intestina cruentat.
Ore suae cystis clauso si felleus humor
Aestuet icterico deformans membra colore:
Si succendatur triteus, vel si dominetur
Ignea vis cholerae superexcedens sine febre:
Si fervore hepatis sanguis vim fellis adoptet,
Constat Psylliticum conferre iuvamen amicum. —
Donec signiferum sol bis peragraverit orbem,
Psylliticum valet incolumem servare vigorem.

ELECTUARIUM DE SUCCO ROSARUM.

Inclyta de roseo confectio nata liquore
Arguit et reprimit cholerae ferventis acumen:
Guttam de calidis humoribus atque podagram
Eruit et triteros solvit, si dyscolus humor
Manserit in membris crisibus non ante peractis
Post male distensas febres hoc leniter illum
Purgat et emundat et vitae vela secundat.
    Talibus in causis medicum vitare decebit,
Qui novus et medicae rudis est tirunculus artis,
Qui crudus de doctoris fornace recedens,
Verborum lites sed nullos attulit actus:
Gutture qui tumidus dum ventos garrit inanes,
Assuetus quosdam physicae dissolvere nodos,
Tactus avaritia, multum metuenda peritis,
Curandi morbos excelsa negotia curat:
Qui de se male praesumens nondum reparatis
Viribus aegroti critici post tempora motus

530) *Gelide virtus ascentria d' π; ascetica* G.; forsan i. q. separatoria? — 531) *Vilis* Ls.; *uil' μ.* — 539) *Silliticum π,* Ls. — 546) *Manxerit μ; crasibus π.* — 553) *Dum* G.; *d' μ.* — 558) *Critici* G.; *c'tici μ.*

Visceribus laxis austerum intrudit acumen,
Corporis ac animae quibus intricata tenentur
Dissolvit nodos et vitae stamina rumpit,
Congelat exanimum letali frigore corpus
Et rasos de morte facit gaudere lupercos.
O nimis a ritu veterum, si dicere fas est,
A recto quoque iudicio censura Salerni
Devia, cum tolerat, animo cum sustinet aequo,
Nondum maturas medicorum surgere plantas,
Impubes pueros Hipocratica tradere iura
Atque Machaonias sancire et fundere leges,
Doctrina quibus esset opus ferulaeque flagello,
Et pendere magis vetuli doctoris ab ore,
Quam sibi non dignas cathedrae praesumere laudes.
Rex puer, imberbis iudex, cathedrae moderator
Absque pilis, matremque gerens impubere vultu,
Et medicus pleno nondum provectior aevo,
Dissona sunt, nullaque sibi ratione cohaerent,
Et physicae titulos haec maiestatis obumbrant.
O vesana hominum rabies, errorque profanus,
Devius intuitus, miseros qui talibus aegros
Committunt medicis, quos nulla probatio coxit,
Nulla quibus fidei manet experientia testis;
Quos subitae necis artifices, hostesque malignos
Humani generis posset lictoris iniqua
Condemnare manus: nam cur lex regia sontes
Arguit et saevo capitis discrimine damnat,
Talibus ut parcat medicis? suspendia, flammas,
Vincula, tela, cruces et carceris abdita nigri
Infligenda reis censura Philippica dictat,
Et patitur medicos tales discedere salvos:
Horum cum calido frontes exurere ferro
Justitiae rigidus veterum permitteret ordo,
Ut fraus damnati signata charactere vultus
Et sua conditio perversa notabilis esset,

---

563) Cfr. v. 137. — 565) *Salini* μ; *Salerni* G. — 568) *Hypocratica* μ; pro Hippocratica, cfr. l. 4. v. 308. — 586) *Stipendia* μ; *suspendia* G. — 591) *Veterum* G.; *ut'* μ. — 592) *Frax* μ; *fraus* G., cfr. l. 4. v. 69.

Et laqueos tenues possent vitare columbae.
Si sapis, accedas medico, quem condit honestas,
Ornat religio, depingit gratia morum,
Qui physicae leges, veterum qui scripta virorum
Pectore clausa tenet, mitis, sermone modestus,
Et verbo resonans mentis, non verbere linguae:
Quem non exaltat famae praesumtio, mentis
Interpres, nec laudis inops iactantia tollit;
Cui fidei custos et rerum fida probatrix
Sollemnes titulos vetus experientia fecit,
Et laudem et celebris famae praescribit honorem.
Practica per talem digne celebrata ministrum
Plenius assequitur divini dona favoris:
Felices habet eventus et fine beato
Clauditur, artificem iocundis ditat amicis,
Languentem dono vitali praemiat aegrum.
Dum fervet dolor arteticus durisque flagellat
Ictibus articulos, dum perfurit ira caloris,
Si detur medicina nocet: loca namque doloris,
Rheumatis incursu cruciat reprobatque molestat.
Sed cum saeva mali vento spirante quietis
Tranquillata silet tempestas, cumque doloris
Declinat rabies, confert medicaminis usus
Ante datis digestivis, membrisque perunctis
Rheumaticus loca distendens quibus insidet humor,
Facto de violis oleo dulcive butyro:
Corpore purgato, postquam tempus diatriti
Elapsum fuerit, celebranda minutio, cuius
Tempore completo Rubeam dare convenit aegro,
Humorum quae relliquias consumere possit,
Roboret invalidum corpus, fluxumque sigillet,
Arceat humores guttosa in membra fluentes.
Hanc novus et noviter expressus ab ubere matris
Conficiat roseam roseus succus medicinam.

---

609) *Vitali* G.; *tutali* μ. — 613) Forsan *reprobansque molestat.* Sensus est: non in ipso arthritico accessu dandam esse medicinam, sed tempore remissionis. — 620) Tempus diatriti i. q. tres dies. — 621) Minutio i. e. phlebotomia.

Nam quem detinuit vitreo mora vase reclusum,
Non aequat virtute novum: si forte recentis,
Servavit quem longa diu tutela syropi,
Copia defuerit, veteris tibi gratia prosit.
Temperat hanc tutamque magis reddit medicinam
Decoctae pulvis commixtus ei scamoneae,
Pastillo clausus qui desudavit ad ignem,
Quae quoniam proprium sic castigavit acumen
Supplicio calidi cineris, sua pondere maior
Est moderanda dosis nec pro novitate timenda;
Ipsaque plus recipit et maiori scamoneae
Grandescit cumulo, quo plus in acumine languet,
Quo nimii scamonea magis vim passa caloris.
At cum crudus eam pulvis, nec caumata passus
Exacuit, magis est ex hoc metuenda, minorque
Dispensanda dosis, quando est in acumine maior,
Nec debet medicina dari, nisi mense peracto,
Nam solet incautis novitas suspecta nocere. —
De roseo succo quae conficitur medicina,
Integra per geminos annos servatur et ultra.

EMPLASTRUM APOSTOLICUM.

Dicitur emplastrum, quia sit confectio dura;
Fertur Apostolicum, quia cum virtute potenti
Regnet, apostolici sibi ius adquirit honoris,
Aut e p i cum supra resonet, s t o l e missio lingua
Explicet interpres sensum per verba resolvens:
Cum super afflictas sua vis bene cognita partes
Mittendum hoc doceat, a mittendo super ipsum
Nomen Apostolicum trahit et vim voce fatetur.
Hoc collum et scapulas duris contusa flagellis
Et loca cervici contermina sanat, eisdem
Desuper aptatum, sed sal prius atque ciminum

630) Si recens rosarum succus defuerit, sume veterem syrupo servatum. Versus 631 ante v. 630 ponendus videtur. — 639) *Quae* Ls.; *quo* π. — 641) Pulvis crudus scamoneae, non coctus, ideo fortior. — 648) *Sit* π. — 650) *Vis* μ; *ius* G. — 651) Cum επι sit i. q. supra et στολη i. q. missio, inde dici putat auctor a mittendo super partes laesas: emplastrum apostolicum. — 654) *Docent* Ls.; *doceat* π. — 658) *Cinimum* π, Ls.

Tosta super calidum laterem pannoque reclusa
Desuper afflictas partes compressa voluptent.
Oxymelle dato membrisque tumentibus unctis
Rufi serpentis oleo, quae faucibus haerent,
Sufficit appositum scrofulas sanare novellas. —
Rupta cicatrizat, solidat, carnemque reformat
Rarificat, tenuat, mundat, trahit atque vaporat;
Anthracem, nephresim, colicam domat et paralysim,
Reptilium morsus, multique foraminis ulcus
Eruit infixum carnis de vulnere ferrum.
Splenis duriciem mollit, solvitque tumorem.
Ante datis divisivis ut congrua causae
Debita praeveniat purgatio cum Benedicta:
Aurea completo cui succedat diatrito:
Rheuma quibus gelidum talorum extrema flagellat,
Et genuum crebro contundit verbere partes,
His super inductum curam praestare salubrem
Praevalet, et longi noxam sedare doloris,
Ut vigor emplastri se promptius ingerat, ut se
Oppressis melius nervis intrudere possit
Aurea, laurino pars languida poscit inungi. —
De gelidis chymis molli pulmone creatum
Aut sibi quod stabilem figit diaphragmate sedem
Sanat apostema, membris languore gravatis
Appositum praetentato cataplasmatis usu,
Quod fit de cepis, oleo vinoque recoctis,
Cui modici se miscuerit tritura cimini.
Quos male praecisi gravat indignatio nervi,
In spasmum quos coeca trahit punctura tenontos,
Curat Apostolicum: nam vulnus servat apertum,
Emundat saniem, domat excluditque dolorem.
Sed primo loca puncturae penetrare potenti

---

663) *Sero* Ls.; *scofas* π; lego *scrofulas*, nam nota marginalis ad cod. π habet ad hunc locum: Ad scrophulas dissolvendas. — 664) *Cicatrizat* π. — 666) *Entrazem* μ, π, Ls.; lego *anthracem*. — 670) *Et* Ls.; *ut* π. — 672) Completo diatrito i. e. post exactum diem tertium. — 674) *Contendit* Ls.; *contundit* π. — 679) Laurino scil. oleo. — 682) *Langore* π. — 685) *Cum* Ls.; *cui* π. — 687) *Peruntos* Ls.; *tenuntos* μ; lego *tenontos*, τενοντος i. e. tendinis.

Expediet terebinthino perfundere visco.
    Quos movet asquites, vel quos anasarca tumores,
Comprimit, iliaco confert colicoque dolori,
Quem vel frigiditas spisso fundata liquore,
Aut male conceptus creat intra viscera ventus
Pars oppressa malo prunis vicina fricanti
Evigilata manu spirantis lene liquorem
Combibat unguenti quem parturit innuba laurus;
Postquam oleo gavisa cutis se tegmine lato
Muniat emplastri modicum falcatus in arcum,
Cui superaptetur cadus aeris plenus olivo.
    Appositum lumbis, gelidus quos opprimit humor,
Quos gravat humoris expers, adversa caloris
Frigiditas, quos de multis congestus arenis
Calculus affligit, celeris compendia curae
Praebet Apostolicum, humorem spargit et extra
Cum fumo cogit et cum sudore moveri
Et studet amissum membro revocare calorem
Et male congestae tumulum dissolvit arenae;
Praevia sed primam celebrent diuretica curam. —
Si superaptetur et inunctum subiiciatur,
Facto de violis oleo, matrice tumores
Hoc male conceptos curat, nimiosque dolores,
Quos algor movet aut ventosae spiritus aurae;
Non modicas de gallitrico sumentia vires
Praeligata prius vulvam fomenta vaporent: —
Utilis est gelidae talis medicina podagrae
Et sciasim curat gelido de rheumate natam. —
Hoc typicae febri, cui frigida suggerit ortum
Crudaque materies stomacho conclusa, medetur
Appositum ventri vel splenis sede locatum
Digerit, extenuat, spargit, consumit, inanit
Fermenti veteris putridam de corpore massam,
Vendicat unde suum febris importuna vigorem.

---

692) *Asquites* π, Ls.; i. q. ascites. — 695) *Mele conceptus* μ; *mele conceptis* Ls.; lego *male conceptus.* — 704) *Fritas* μ; *frigiditas* G. *Harenis* π. — 712) *Factis* π, Ls. — 716) *Praelegiata* π, Ls.; lego *praeligata.* — 718) Sciasim i. e. malum ischiadicum.

Vulnera corruptas late pascentia carnes,
Quorum multiplici distincta foramine formam
Fistula describit et eodem nomine signat,
Sanat Apostolicum: pus attrahit et loca mundat,
Ora quibus sanies emergitur, et quibus humor
Noxius erumpit, per quam substantia membri
Nauseat, haec reserat et cuncta repagula solvit,
Corruptis aequata locis prius ostia tentet
Ulceris ex viridi formata cyclamine tenta,
Post bene mollitum membranae firmiter haerens
Se cupit emplastrum vitiato iungere membro. —
Quem canis impressit rabidus vel vipera morsum,
Et subiti quaecumque movent discrimina fati
Vulnera pestifero nimium suspecta veneno,
Sanat Apostolicum, sed primum plaga lavari
Indiget ex succo menthae mixto Tiriacae
Ceroticum similem retinet per cuncta vigorem,
Oxyrocrocinum similem coniurat in actum,
Et Diateraseos actus sibi vendicat aequos. —
Tempore lustrali virtute viget speciali.

ELECTUARIUM AD RESTAURATIONEM HUMIDITATIS.

Quos phthisis exhaurit, ethicae quos fervor inanit,
Et stesis extenuat, quos tussis anhela fatigat,
Quos empima terit, quos disnea succat et urit,
Restaurativum reddit corpus redivivum,
Pascit et inpinguat, reparat, fovet atque saginat. —
Restaurativum postquam compleverit annum
Se restaurari desiderat et renovari.

732) *Hostia temptet* π. — 733) *Tempta* Ls.; lego *tenta* i. q. turunda, Gallice tente; cfr. v. 114. — 736) *Impressus* Ls.; *impressit* π. — 741) Ceroticum, forsan idem emplastrum, quod apud Nicol. Praep. (fol. 393 a) Ceroneum dicitur. — 743) Haec tria medicamenta composita eandem virtutem habent cum emplastro apostolico. Diateraseos quid sit nescio, nisi forsan legas *Diacceraton*, emplastrum quod ex Oribasio Aetius notavit. — 745) *Elect. ad ristauhumiaditatis* est inscriptio apud Ls., μ. — 746) *Stesis* π; *stasis* Ls. *Anéla* π; *anhela* Ls. — 747) *Empuna* π, Ls.; lego *empima* i. q. empyema; *Disma* μ; *disnea* i. q. dyspnoea. *Succat* π, Ls.; lego *siccat*. — 751) *Ne* Ls.; *se* π.

KATHARTICUM IMPERIALE.

Imperiale sibi medicina cathartica nomen
Traxit ab imperio, quia morbis imperiose
Imperat ex cholera duplici vel phlegmate natis,
Et domat oppositas uno certamine causas,
Vel quoniam reliquas omnes inter medicinas,
Quae laxativae pollent virtutis honore,
Sola placens et deliciis regalibus apta est,
Solaque personis melius favet imperiosis.
Praecipue choleram primo, sed phlegma secundo
Imperiale trahit, cuius non dissona virtus
Ut choleram purget, quam gignit adustio nigram,
Quam calor excedens fines conduxit ad ortum.
Hoc caput et cerebrum purgat partesque remotas:
Nam vapor ex calidis surgens resolutus ab illo,
Dum mediis haerere locis, regione morari
Membrorum media refugit, quia fumus acutus
Et via proclivis et respiratio promta
Cedit ad extremas effreni turbine partes,
In quibus opposito fit fortis ab obice motus,
Acrior impulsus, violenta relisio, metam
Cum sibi non pateat progressus ad ulteriorem,
Sumit ab offensa vires et fortior ictu
Redditur allisus sibi respiramine demto.
Cum non respiret fumus conclusus in arcto
Partes multiplicat, fit spissior atque cohaerens,
Eliquat humores, membri contenta resolvit:
Sed capitis nocuos medicina cathartica chymos
Promtius eripiet, si portio pulveris eius,
Quem recipit, mixto quem dant absinthia succo,
Transeat in pilulas sero sub vespere dandas.
    In pilulis sumtum, quas formula prima notavit,
Ex vitio cerebri putrido de rheumate natam

752) *Catartica* π, Ls. — 764) *Purgatque* Ls.; *partesque* π. — 766) *Haerere* G., Ls.; *h'ere* μ. — 769) *Sedit* π. — 771) *Relesio* μ; *relisio* G. — 772) *Poterat* π, Ls.; lego *pateat*, cfr. v. 456. — 775) *Arto* μ; *arcto* G. — 778) *Catartica thimos* π, Ls. — 780) *Quam* Ls.; *quem* π. — 783) *Natum* Ls.; *natam* π.

Foetoris maculam corrupto purgat ab ore.
Corpore purgato demum contermina causae
Conveniens opiata suos exerceat actus:
Postremum causis impende localibus usum,
Cum vitio stomachi cameratio tota palati
Inficitur, cum pravus odor transmittitur ori,
Cum mala gingivas foedat vicinia ventris,
Hoc totum purgat vitium medicina recepto
Oxymelle prius de squilla vel rafanino.
Foetiditas oris cui substramenta ministrat
Sordida pulmonis labes, quam spiritualis
Corruptela facit, plaga quam spirabilis aurae
Concipit et nares tristi funestat odore:
Omnibus est gravior cunctis foetoribus una,
Praeminet et nulla se sustinet arte iuvari:
Quae licet ad tempus lateat, quia forsitan eius
Horrorem species et aromata sumta sigillant:
Vel quia clausa latet fortis sub tegmine vini
Vel cibus hanc sumtus reprimit prohibetque resolvi,
Quod tamen abscondit Bacchus, quod palliat esca,
Quod clausum Pliris occultat, quod aromata celant,
Hoc matutina ieiuno corpore facta
Detegit et reserat spiratio, quam resoluto
Digestoque cibo tegimen iam non habet ullum,
Unde suum possit populo celare pudorem,
Hircinus recidivat odor, qui quo magis intra
Clauditur, erumpit gravius tristique vapore
Percutiens nares vitales polluit auras.
    Quos male depascit macilentia, quos febris urit,
In quibus imperio cholerae viget ignea virtus
Observare decet, ne se medicaminis huius
Usibus exponant: nam desiccatio crescit
Ex causis paribus, seque asperat ira caloris,
Nec nimium calido dabis hoc in tempore, quando

---

790) *Guinguiñas* μ. — 793) *Tui* Ls.; *tm* μ; lego *cui*. — 795) *Quae* π, Ls.; lego *quam*. — 799) *Qui* Ls.; *quia* π. — 803) *Palliat* π; *palleat* Ls. — 804) *Celant* π; pro *Pliris* forsan legi posset *plicis*. — 811) *Pollunt* π, *polluit* Ls. — 814) *Debet* Ls.; *decet* π. — 817) *Dabit* π, Ls.

Corporis humores dissolvit fervidus aër.
Aptius hoc dederis sub amoeno tempore veris
Ut sit causa mali praeservatura futuri
Phlegmaticis vel quos disponit felleus humor.
Cum prunis, violis, melonibus atque citrolis,
Cum lingua quoque cervina, Venerisque capillo
Hoc dabis ad choleram, quod si purgare labores
Phlegmatis humorem quercus polypodea misces.
Si choleram purgare nigram, dabis amne solutum,
Quo sene, squinanthum cum cuscute cocta fuerunt.
Si gelidos purgare velis de corpore chymos,
Crudaque materies membris sit clausa remotis,
Hermodactylicas medicina cathartica vires
Muniet et turbith mixto sibi quaerat acumen.
    Iliacam solvit, ventosa tonitrua pellit,
Purgat ab extremis, fit amica solutio sanis
Ad praeservandum quod sors inopina periclum
Praecipitat, leviter lavit, quos saepe molestat
Fecibus inclusis mala constipatio ventris.
    Imperiale potest fieri simplex et acutum:
Simplex quod tantum recipit pondus scamoneae,
Quod naturalis et prima refectio poscit
Quatuor ad sellas aut tres, cuius dosis una
Si non difficilis solvi nimiumque rebellis
Extiterit, poterit mansuetum solvere ventrem.
Nam plerumque potest venter sic durus haberi,
Sic male compositus, quod nec scamonea nec ipsum
Provocat elleborus, nullum dissolvit acumen;
Sic tener ac habilis venter, sic mollis haberi
Et facilis solvi poterit, quod provocet ipsum
Solus odor, solus laxet medicaminis horror.
Expediet igitur solertis indagine mentis

---

822) *Primis* π, Ls.; lego *prunis*, cfr. l. 4. v. 937. — 824, 826) *Dabit* π, Ls. — 829) *Causa* Ls.; *clausa* π. — 830) *Haec moduculicas* μ, Ls.; lego *hermodactylicas*. — 831) *Turbat* π, Ls.; lego *turbith*, de qua radice ait Platearius (Circa instans, litt. T. 4.): „competenter acui ex ea alias medicinas, virtutem habere dissolvendi, attrahendi humores ab extremis et maxime phlegma.“ — 836) *Fetibus* μ; *faecibus* G. — 845) *Elleborus* Ls.; *ell'us* μ. — 849) *Expediens i. s. imagine* π, Ls.; lego *expediet i. s. indagine*; cfr. l. 1. v. 339; l. 3. v. 901, forsan *solerti*.

Obscuros medico rerum explorare recessus,
Ut quae danda, quibus perpendat, quaeve neganda,
Quae crasis exploret hominis, quae forma vel aetas,
Quae virtus, quae compositi substantia constet,
Rara sit, an solida, quae sit iunctura viarum,
An stricti sint membrorum largive meatus,
Quis locus humorum, quae causa forinseca morbi
Quae sit privata, qualis sit corporis humor
Fluxilis an durus, quae sit mixtura malorum. —
Quod superat simplex in acumine fertur acutum,
Pondere sub certo cuius metitur acumen
Regula doctorum quondam decisa Salerni,
Quam nostri venerantur adhuc celebrantque moderni:
Dragmas libra capit bis senas, uncia dragmam,
Recta dosis dragmae medium tenet uncia semum. —
Vergit ad occasum sua vis cum tertiat annum.

METRIDATUM.

Omnem Metridatum morbum de frigore natum
Constanter sanat, languorum iura profanat,
Infringit maniae leges, quas frigidus humor
Atque melancholicus mentis sacraria scandens
In cerebri charta molli depingit et alba,
Quam sua mollities et puri munda coloris
Simplicitas variis cogit prostare figuris.
Quos niger ad cerebrum fumus de corde vaporans
Et male contristat et vanis territat umbris,
Quos falsus timor exagitat, quos terror inanis
Persequitur varii meditans discrimina casus,
Consolatur eos et amica pace serenat
Metridatum, spe conciliat cordisque vigorem

---

854) *Viarum* G, Ls.; *varum* μ. — 855) *Largique* π, Ls.; *largive* Ackermann, (regimen Salern. pag. 51). — 859) Scilicet catharticum imperiale simplex et acutum, v. v. 837. — 863) *Caput* π, Ls.; lego *capit*; sensus est: cathartici imperialis acuti uncia capit drachmam scamoneae, igitur libra eiusdem duodecim drachmas. — 864) *Teret* π. Uncia dimidia, quae est iusta dosis cathartici continet drachmam dimidiam scamoneae. — 868) *Frigus* π; *frigidus* Ls. — 870) *Carta* π, Ls. — 871) *Quae* π, Ls. — 872) *Praestare* Ls.; *prostare* π.

Firmat et ignavae pellit phantasmata curae.
Omnibus his causis unus modus, unica servit
Formula sumendi: cum vino, vespere sero,
Hoc fore sumendum decernit practicus ordo. —
Hoc epilepsiae vires subvertere novit,
Si bene cum cuneo reseratis dentibus aegri
Lingua gingivis et faucibus inde fricatis
De cerebri regione nocivus profluat humor.
Quod si cum vino dederis, quo passa caloris
Supplicium fuerit pretiosa puerpera macer,
Tollit hemicraneum morbum ciliique dolorem
Et cephalargiam gelido de rheumate natam.
Sed tamen ex auro clarum sibi nomen habentes
Antidoti pilulae gressum praecedere debent,
Opportuna quibus cerebri purgatio fiat,
Et quae rheumaticae non est indebita curae. --
In pilulis, quibus olibani mixtura vigorem
Suggerit acceptum, fluxum cohibet lacrymarum.
Sic sumtum madidi compescit rheuma palati:
Rheumatis eluviem tenet in declive fluentem:
Uvas stillantes siccat, faucesque natantes.
Talibus in causis gargarizare calenum
Expediet tepidum, quo gallas robore natas,
Zinziber atque rosas et passas coxeris uvas. —
Si de Metridato succo menthae resoluto
Intus et exterius fauces patientis inungas,
Dentibus oppressis de frigiditate mederis. —
Sub novitate mali, dum fluxilis humor oberrat
Glutine non passus secum massante ligari,
Curat Metridatum guttur squinance gravatum,
Cum vino bibitum calido, cui thuris odorem
Ignibus ádmoti mandavit fervor aheni,

879) *Ignave* π. — 884) *Cimino* Ls.; *çimo* μ; lego *cuneo*, uti ex. gr. l. 1. v. 395 et l. 4. v. 613 haec phrasis occurrit. — 887) *Dederi* π; *dederis* Ls. — 888) *Petiosa* π; *pretiosa* Ls. Puerpera macer, quia nucem muscatam continet. — 889) *Emigraneum* π. — 890) *Cefalargiam* π. — 892) *Procedere* π; *praecedere* Ls. — 894) *Cerae* π; *c'e* μ; *curae* G., Ls.; forsan legendum est *causae*. — 897) *Comprescit* π; *compescit* Ls. — 904) *Externis* π, Ls. — 910) *Aheni* Ls.; *aeni* π.

Sed sibi de vena linguae vel de capitali
Praeminuat patiens et gargarizet acetum,
Bullierint ubi galla, fumus, rosa, palmula, ficus.
    Rheumaticas solvit tusses, quas si calor urens,
Aut siccae vis dyscrasiae, vel frigidus humor
Intulerit, qui grossitie vitalibus haerens
Divelli nequeat solvi malus atque rebellis:
Has magis accendit et plus facit esse feroces
Metridatum stimulosque malis currentibus addit.
Hoc quoque cum vino bibitum vim thuris habente
Noxia sanguinei mundat contagia sputi,
Si cerebri fuerit sanguis regione revulsus;
Quem si de stomacho vel de pulmone revelli
Contigerit, fluxum magis incitat atque cruorem,
De propriis facit uberius manare cavernis.
    In saniem iam converso ruptoque tumore
Post nonum suscepta diem cum pulvere myrrhae
Fertur opem peripleumonicis conferre salubrem
Potio Metridati: nam, dum putredinis omnes
Radit et extergit sordes, empima futurum
Destituit, membrumque vetus novitate reformat,
Vitalisque loci iura illibata tuetur. —
Grande lientericis facit haec medicina iuvamen
Et favet iliacis si vino mixta bibatur,
Sed prius, evacuent nocuos de corpore chymos
Squinanthum, quercina filix, coloquinthida, fungus,
Quem profert abies, trunci de cortice natus.
Quos super extendit spasmosa repletio nervos,
Vel quos humiditas ipsis infusa remollit,
Castorei cum Metridato decoctio sumta
Temperat et reddit proprio reparatque vigori. —
Si nervis stupidis, quos infatuat paralysis,

---

912) Praeminuat de capitali i. e. antea venaesectionem in cephalica vena instituat. — 913) *Fumas* π, Ls.; lego *fumus* i. e. fumus terrae s. fumaria herba, nisi mavis legere *fu mas*, species valerianae. — 917) *Soli* Ls.; *solvi* π. — 922) *Sic* π, Ls. — 925) *Uberibus* Ls.; *uberius* π. — 928) *Peripleuritis* Ls.; *perpl'ortis* μ; lego *peripleumonicis*. — 930) *Empyma futurum* Ls.; *ēpĩa futuri* μ. — 936) *Quercina* Ls.; *sq'cina* π; cfr. l. 1. v. 634. — 937) *Tranti* Ls.; lego *trunci*.

Metridatum cum muscelei pinguedine mixtum
Desuper inductum fuerit multumque fricatum,
Laxas restringit vires sensumque reformat.
Ex hoc Metridato cum musceleo resoluto
Bombax tincta locis apte submissa pudendis
Natum viscoso iuvat ex humore tenasmon.
Partibus afflictis ex illo saepius unctis,
Quos vel frigiditas vel vis ventosa creavit,
Haec hypochondriacos sanat mixtura dolores. —
Cum milio solis, cum saxifraga, petrosillo
Exhibitum lapides frangit, dissolvit arenas,
Et nephreses curat, et desistentia cogit
Menstrua suppositum lunares noscere motus.
Interius sumtum, patientibus inde perunctis
Partibus, arteticae prodest gelidaeque podagrae.
Cui si pulvis erit commixtus aristolochiae
Cum gentiana, dictamno, dannide, mentha,
Mortiferum penitus valet expugnare venenum. —
Quando datum, quum se typicus commoverit horror
Phlegmaticae febris laqueos dissolvere novit,
Quem vel acetosus gignit, vel vitreus humor,
Vel naturalis molli pulmone creatus;
Veraque quartanis tribuit solatia veris. —
Integra Metridati servatur vita bilustris.

MICLETE.

Est dysenteriae specialis cura Miclete
Atque lienteriae, sed eas purgatio dispar
Dividit, et discors medicandi congruit usus,
Nam varias species varius disterminat humor
Et variat causae ratio variata medelam.
Si curam dysentericis impendere curas:
Perque omnes sellas cholerae tinctura resultet,

---

943) *Miscelei* Ls.; *miscel'i* μ. — 947) *Bimbax* π. — 953) *Exibitum l. f. d. harenas* π. — 954) *Nesteses* μ; *nefreses* Ls. — 958) *Cuius* π, Ls.; *aixto logie* μ; lego *aristolochiae.* — 959) Dannide i. q. daphnide s. lauro. — 961) *Quam* Ls.; *quum* G. — 962) *Fleumate febrilis* Ls.; *fl'atice febris* μ; lego *phlegmaticae febris.* — 963) *Ginnit* μ. — 964) *Creatas* π, Ls.; lego *creatus.*

Quos liquor imbiberit roseus de myrobalanis
Citrinis purgabis eos; si terreus humor
Et niger admixtus fuerit, miscebis et indos;
Quod si phlegmaticae se muscillaginis humor
Misceat, adiungi kebulos decoctio poscit.
Ad confortandum stomachum Rhodozaccara detur,
Postquam nacta suum fuerit purgatio finem,
Fluxerit ex parte lux altera, danda Miclete
Quae matutini firmat sibi iura secundi.
Cum succo dabis hanc plantaginis ex haematite
Ad cotem alliso rubeum ducente colorem.
At si mixturas tales contemserit aeger,
Non tolerare queat potus natura malignos,
Sed nimis austeros reprobet fugiatque sapores,
Hanc dabis in pilulis hypocistidos atque rosarum
Masticum et boli, combusti pulvere gummi
Admixto, ut solidae fiat substantia formae.
Hoc tamen advertas et fixum mente fideli
Collige, quod propriis poteris distinguere signis:
Ex intestino si fiat ab inferiori
Vis dysenteriae, potius clystere iuvabit
Sessio, fomentum, fumus, cataplasma, lavacrum,
Ipsaque Miclete succo resoluta priori,
Proderit huic causae, declivem missa per orbem:
Si de supremo fluxus consurgat origo
Est magis accepta suscepta per os medicina,
Nec modicum fert auxilium cataplasma Miclete
Aptatum ventri, cui praestent mixta vigorem
Gummi combustum, rosa, mastix, bolus, acetum,
Olibanum, succus plantaginis et liquor ovi.
    Iste lientericos curandi congruus ordo
Est magis expediens: primum purgare nocivum

---

974) *Mirabolanis* π. — 976) *Miscebit* π, Ls. Indos scil. myrobalanos. — 977) *Fleumatice se muscillaverit* π, Ls.; lego *phlegmaticae se muscillaginis*. — 978) Kebulos scil. myrobalanos; *rebulos* π, Ls,; *rebl'os* μ. — 981) *Fluxibus* π, Ls.; lego *fluxerit*. — 983) *Dabit* π, Ls. *Exematite* π; ex *haematite* Ls.; cfr. l. 1. v. 525. — 988) *Yporisticos* π, Ls.; lego *hypocistidos*. — 997) Per declivem orbem i. q. per orificium intestini inferius. — 1005) *Et* π, Ls.; lego *est*.

Corporis humorem, demum constringere fluxum.
Nam nisi praeveniens purgatio noxia purget,
Prava depuret, vis constrictiva Miclete
Noxia dum retinet, dum quaeque superflua claudit,
Dum choleram fraenat, ipsique repagula ponit,
Materiam fluxus cumulat, quae cum sit abundans
Interius claudi nequiens, iam carcere rupto
Fortius erumpit et dedignata teneri
Currere laxatis fluxum compellit habenis.
Ista lientericis devoto servit amore
Coctio, quae fungum, cui nomen agaricus, in se
Continet et filicem quercus, paleamque cameli,
Granaque quae medicos coloquinthida vertit in usus.
Haec si cum roseo fuerit resoluta liquore
Manantes haemorrhoidas potata coërcet
Et bombax, talem quae conbiberit medicinam,
Est aptanda locis et supponenda pudendis,
Rugitum ventris sedat rixamque doloris
De cholera facti componit foedere pacis.
Castigat tineam, morsumque putredinis arcet
Miclete, quia de siccis constat speciebus,
Et vis sicca magis conservativa probatur. —
Incorrupta suo tribus annis iure perennat,
Nec damnosa potest hanc incrustare vetustas. —
Constat habere dosim, quantum tenet uncia pondus.

MUSA AENEA.

Corpore purgato, sicut natura nocivi
Postulat humoris, horis oblata duabus
Ante febris typicos motus iuvat aenea Musa,
Phlegmaticae febris typicus quos congelat algor,
Quos rigor infusus nervis horrore fatigat,
Quos quatit a proprio quartanus scemate frendor,
Cum vino tepido vel aqua debet variari

1016) *Quae fungum crimen agoricus* Ls.; *q̄ fungū crimen āgicus* π; lego *quae fungum cui nomen agaricus*, cfr. l. 4. v. 1050. — 1019) *Sit* μ; *si* G. — 1021) *Bonbax* μ, Ls. — 1031) *Sicut* G.; *sic᾽* μ. — 1033) *Aenea* π, Ls.; rectius forsan *ennea*, vide Prolegom. ad carm. de medicam.

Sumendi species, ut morbi formula poscit.
Mente tamen solidum debet fixumque teneri,
Quod vitreo facta de phlegmate cotidiana,
Vel naturali specialibus hanc medicinam
Vendicat, hanc munimen habet clipeumque salutis;
Se Rubea contra trinum natura tuetur,
Tetraceum tribus ex iaculis armata gigantem
Metridato superat, Adriano, Tiriaca.
At febrem, cui materies infecta vigorem
Praestat adulterio peregrini nata caloris,
Cui substramentum dat salsi phlegmatis humor,
Vincit et expugnat Rubeae dosis addita Musae,
Oppositos complexa iuvant medicamina morbos.
Fronte ac temporibus et pulsibus inde perunctis
Noctibus in creticis si febricitantis acute
Sudorem moveat, fert certa pronostica vitae,
At fuga sudoris venturae nuncia mortis.
Oxymelle dato prius et medicamine sumto,
Vim cuius laxativam dilucidat actus,
Cum calido vino stomachi data Musa tumores
Corrigit ex motu ventosi flaminis ortos
Vel quos frigiditas genuit, vel frigidus humor. —
Cum thuris resoluta mero si Musa bibatur
Solvit de gelidis chymis suspiria, vel quae
Infert rheumaticus pulsans vitalia morbus,
Unguentis regione prius thoracis inuncta
Mollificativis intus quae clausa relaxant. —
Quae si cum roseo fuerit potata liquore
Liberat empicos, sordes depurat, et ulcus
Consolidat, pus emungit, distantia iungit,
De qua si pilulae myrrhae cum pulvere factae

1043) *Trinum* Ls.; forsan *triteum*, i. e. tertianam febrem. — 1048) *Falsi* π, Ls.; lego *salsi*. *Horror* Ls.; *h'uor* μ; lego *humor*, cfr. v. 1090. — 1052) *Noctibus* π, Ls.; legendum videtur *motibus*. — 1053) *Moneat* π; *moveat* G. — 1054) Platearius (expos. in Nicol. antid. f. 385 b): „pater meus ita faciebat in acuta febre volens certificari de vita vel morte, ungebat corpus febrientis praecipue venas pulsatiles et circa brachia et tempora et in die critico, si ex tali inunctione sudorem videret provocari, evasurum indicabat, si non, mortem.“ — 1059) *Ferreus* π, Ls.; *f'reg* μ; lego *frigidus*.

Dentur non minus hunc poterunt absolvere morbum.
Quam si leptomeris, quorum diuretica virtus,
Miscueris rebus, eadem sedare probatur
Hydropicos ac spleneticos potata tumores:
Sic ea congressae cumulum dissolvit arenae,
Liberat urinae cursum reseratque meatum
Quam globus obstruxit viscosae materiei
Pectinis ex illa succo cressonis soluta
Appositaeque foco patinae retinente calorem
Tota perungatur regio supraque ligetur,
Sed fomenta prius aegri postrema vaporent
De portulacae ramis, de mercuriali,
De malvis in aqua cum vino et cum sale coctis
Et de cressone, gelidi qui fontis alumnus
Semper aquosa colit, quamvis natura caloris
Hunc sibi conciliet et vis tueatur in illo,
Et calidae craseos virtus sibi vendicet illum,
Et super has herbas si sessio fiat ab illis
Dum vapor exhalat calidus partesque propinquae
Involvantur eis certa ratione iuvabit. —
Quos male ventosi vis importuna tumultus
Sollicitat, vel quos gelidus distemperat humor,
Sumta per os calido vino resoluta medetur,
Macer et anthophilus cum quo decocta fuere.
Fortius haec eadem clysterizata iuvabit,
Si salsa solvatur aqua, cui mercurialis,
Mel, oleum, malva, senecio iuncta vigorem
Contulerint et sulphureae substantia massae:
At data cum vino cui vim decoctio thuris
Praestiterit, colicum sanat de rheumate morbum. —
Usibus humanis septenis militat annis.

1076) *Sicut cressone* Ls.; *sic' c'ssone* μ; lego *succo cressonis* vel *succo cressone.* — 1082) Cresso aquaticus, qui quanquam a gelidis fontibus alatur, tamen calidae naturae est. — 1084) *Haec* π; *h'* μ; lego *hunc* scil. cressonem. — 1085) *Si* Ls.; *sibi* π. *Nullum* π; *uullum* μ; *ullum* Ls.; lego *illum* scil. cressonem. — 1086) *Sellio* π; *sectio* Ls.; lego *sessio.* — 1087) *Propinqui* π; *propinquae* Ls. — 1090) *Humor* π; *h'uor* μ. — 1091) *Calicis* π; lego *calido.* — 1092) *Mater* π, Ls.; lego *macer.* — 1095) *Senatio* π; *senetio* Ls. — 1096) *Subera* π, Ls.; *sub'a* μ; lego *substantia.*

OPOPYRA.

Fertur opos succus graece, pyr dicitur ignis,
Ex hoc ignitus censetur Opopyra succus,
Nam quasi pyr verus, velut ignis vera medulla
Igni contendens eius viget ignea virtus:
A sacris inventa viris Cosma, Damiano,
Qui sua martyrio sacrarunt corpora Christo,
Tantis iudicibus, tantis defensa patronis,
Non paganismum redolet, sed laudis honore
Pollet et auctorum se religione tuetur.
Verbere rheumatico quos concutit humor aquosus
In loca nervorum labi decliva paratus,
Sanat guttosas si detur Opopyra partes.
Nam fluxum cohibet opii virtute, sed illud
Quod membro influxit specierum caumate sorbet.
Cuius degeneret oculi motura, nec ipsum
Palpebra legitime spasmo resoluta sigillet,
Si tremor excutiat nervos vel si niger humor
Inficiens cerebrum mentis sacraria turbet,
Si manus ad tactum stupeat, si membra soporet
Rheumatis obiectu praeclusa sensilis aura,
Haec summae virtutis opem conferre probatur.
Ne mala pleureticum labes empimatis urat,
Ne phthisis empicum consumat, Opopyra servat.
Thoracis, splenis, hepatis nocumenta retundit. —
Amputat horrores typicos renumque dolores,
Subvenit iliacis, vesicam mundat arenis. —
Haec oculi, linguae, faciei, gutturis, oris
Cum vino data castorei, quo primula veris,
Salvia, lilifagus, lavendula cocta fuerunt,
Paralysim sedat et perdita membra reformat,

1100) *Pri* Ls.; *pir* π; lego *pyr.* — 1101) *Opopira* π, Ls.; scribo *Opopyra*, ab *οπος*, succus, et *πυρ*, ignis, igitur succus ignitus. — 1102) *Casipir* π; *casir* Ls.; lego *quasi pyr?* — 1104) St. Cosmas et Damianus, martyres, medicinam fecisse perhibentur cfr. v. 40. — 1108) *Actorum* π; *auctorum* G. — 1110) *Decliva* μ. — 1114) *Degeneret* π; *degenerent* Ls. — 1119) *Praecluso sensilis aure* π, Ls.; lego *praeclusa s. aura.* — 1121) *Mala* π. — 1122) *Tisis* π. — 1123) *Retrudit* Ls.; *ret'dit* μ; *retardit* π; *retundit* G., v. v. 1189.

Si pilulis prius auratis et de Benedicta
Legitimo moderanda modo purgatio fiat.
Haec in corde tuo rationis regula constet
Virtutis memorativae signata sigillo:
Quod valet antidotum cuicunque malo tribuendum
Cum specie talem magis impugnante querelam;
Non minus hoc etiam cautum est et in arte medendi
Officio cerebri decet observare: quod omne
Expositum membrum paralysis peste gravatum,
Quod non est oculus, ex hoc medicamine supra
Cum succo rutae resoluto debet inungi.
Si gravet invalidos spasmosa repletio nervos,
Et defraudet eos motivi iure vigoris,
Reddit et amissum restaurat Opopyra motum.
Sit tamen hic usus, haec lex et forma medendi:
Castoreum, sulphur et Opopyra cum scarabaeis,
Cum quibus admixta fuerint euforbica grana
Petroso calido muscelinoque liquore
Pondere sumta pari debent concussa resolvi,
Ut novus unguenti modus et nova forma resultet,
Ex quo spasmosae si fiat inunctio partis,
Et patiens stuffae corpus fervore vaporet:
Vis motiva redit, membri natura resurgit,
Prima reformatur species, contractio cedit. —
Haec data cum calido quo cocta pionia vino
Jus epilepsiae dirimit motusque caducos. —

1130) *Si π; in* Ls. — 1134) *Certumque π,* Ls.; *c'tūq. μ;* lego *cuicunque.* — 1135) Hanc regulam exhibet Platearius (expos. in Nicol. antidot.; cod. Paulin. 1213) ita: „et nota quod quando opiata aliqua vel medicina datur contra aliquam aegritudinem debeat dari cum decocto alicuius herbae vel speciei facientis ad illam aegritudinem.“ — 1137) *Debet* Ls.; *decet π.* — 1139) *Oculis* Ls.; *ocul's π;* lego *oculus.* — 1140) *Nupto* Ls.; *rupto μ;* lego *rutae. Resoluta* Ls.; *resoluto π;* Platearius l. c. habet: „praeterea notandum quod si pars paralytica exposita fuerit excepto oculo fricetur cum opiata resoluta cum succo rutae etc.“ — 1143) *Opipara* Ls.; *opopira π.* — 1145) *Opipara crescana birris* Ls.; *opopira c'scana b'is μ;* lego *opopyra cum scarabaeis;* Platearius l. c. habet: „sulphur vivum, euphorbium, scarabaei, qui inveniuntur in balneis vel inter libros“ etc. — 1146) *Fuerit* Ls.; *fuerint* G.; *fuīt μ.* — 1147) Petrosus liquor i. q. petroleum, uti bene habet codex 1213 in expos. Platearii; edit. Veneta 1562 f. 387 a falso habet: petroselino. — 1149) *Motus μ; modus* G. — 1151) Stuffa, stufa s. stupha est balneum sudatorium vel vaporarium. — 1155) *Epilepsiae dirimit* Ls.; *epil'iae d'imit μ.*

Cum calido potata mero, quos plumbeus humor
Ingerit enormes maniae contemperat actus.
Haec eadem, dum stilla nocens dum fluxilis humor
Et tenuis fugit impulsum spirabilis aurae,
Cum vino thuris calido potata coërcet
De fluido factas et aquoso rheumate tusses,
Rheumaque suspendens vetat in declive moveri.
Sed cum transierit lux tertia, nocte sequenti
Cum vino dabitur, quo passas coxeris uvas
Penidias, amylum, caricas, gummi, dragagantum,
Cumque liquiricia ramos spirantis hysopi. —
Cum vino calamentino potata dolores
Pectoris ac stomachi sedat de frigore natos,
Vel quos ventosi genuit turbatio motus. —
De gelidis chymis quos commassatus acervus
Obstruit, haec hepatis aperit reseratque meatus
Cum calido potata mero, sumente vigorem
Ex apio, cuius vivax natura recentes
Servat et illaesas brumali tempore frondes. —
Spleneticos sanat cum vino sumta tumores
Cum quo decoctus sit capparis aut tamariscus.
Quos si duritia faciat contendere multa
Dura melancholicae fecis compressio, primam
Ex mollitivis opus est impendere curam,
Divisiva dari, quae multis ante diebus
Venturi decet antidoti praecurrere gressus. —
Pleureticis cum iam rupto matura tumore
Erumpit sanies, si cum ptisano resoluta
Post decimam quartam tribuatur Opopyra noctem,
Mundat et extergit sordes et vulnera purgat,
Et praeservat ab empici putredine morbi. —
Haec eadem mixto gummi sibi cum draganto

1158) *Stella* Ls.; *stilla* π, i. q. rheuma. — 1159) *Tenuit* μ; *tenuis* Ls. — 1160) *Coherect* π. — 1162) *Suspendent* Ls.; *suspendens* π. — 1165) *Anilum* μ. — 1166) *Isopi* π. — 1170) Emphraxis hepatis. — 1176) *Caparis* π, Ls.; *capa'is* μ. — 1178) *Melcriae* Ls.; *melice* π; *mel'iac* μ; lego *melancholicae*. — 1183) *Tisano* μ. — 1186) *Empirici* Ls.; *emperici* π; *emp'ici* μ; lego *empici* i. e. empyematici.

Per modicos formata globos, submissaque linguae
Non minus eiusdem causae nocumenta retundit.
Fixa sit haec in corde tuo sententia: nullas
Antidotum causas adversum spirituales
Non mixto lenitivo medicamine dandum.
    Quos agitat rapidis ventosus turbo procellis,
Aut quos viscosus incrudat et algidus humor,
Iliacos curat, ventos consumit et omnes
Morbi reliquias post multa cathartica ventri
Fortiter haerentes sorbet virtute caloris,
Sumta Macedonii cum vino petrosilli
Aut iris Illyricae simili sub pondere coctae.
Sed sibi clystere prius quod molliat alvum,
Physica decernit prudentia, deinde secundum
Fortius apposita mordacius ex Benedicta;
Si causae sit origo mali devota caloris
Suspendendus erit modus iste medendi.
    Ante datis divisivis, aegroque locato
Dulcis aquae lavacro, cum saxifragae data vino
Dissolvit lapides vesicae carcere clausos. —
Difficilem movet urinam cogitque resolvi
Ex ipsa cum musceleo factum cataplasma
Si calidum partes pubis superambiat omnes.
Cum vino filicum quercus et mercurialis
Jocundae colicos tranquillat pace quietis.
    Discolor effectus, vis dissona, causa repugnans
Laxativa vetat opiatis pharmaca iungi,
Praelia ne ventri moveat mixtura rebelli.
    Cum strutii succo piganique soluta liquore
In febribus typicis vitreo de phlegmate factis,
Vel naturalis quas fundat phlegmatis humor;

1188) *Monitos* π, Ls.; *moĩtos* μ; lego *modicos.* — 1189) *Refundit* Ls.; *retundit* π. — 1196) *Catartica* π, Ls. — 1199) *Yris Iliacae* π, Ls.; lego *iris Illyricae.* — 1200) *Sibi* Ls.; *si'* μ. *Quae* π, Ls. Forsan rectius leges *clysterem.* — 1201) *Secundum* G, Ls.; *scd'm* μ. — 1204) Pes unus deficit, sicut omnis locus inde a v. 1200 emendationem desiderat. — 1209) *Muscel'o* μ; *musceleo* π. — 1211) *Quod* π, Ls.; *Q* μ; *cum* G. — 1212) *Jocunde* π. — 1216) *Trucii succo paganique* Ls.; *trucii succo paganique* π; lego *strucii succo piganique* i. e. cauliculi agrestis et rutae. — 1217) *Tipicis iuncto de fleumate* Ls.; *tipic' ui'to de fl'ate* μ; lego *typicis vitreo de phlegmate.*

In veris quoque quartanis patiente locato
Atque super cofinum posito, potata resolvit
Largos sudoris aegri de corpore rivos.
In multis aliis dominatur Opopyra causis. —
Firmat eam stabili septennis vita vigore.

O X Y.

Psylliticum, rosei confectio nata liquoris,
Cum Diatessaron Alchancalon et Diaprunis
Oxy cum Tryphera socialia foedera servant,
Quae sua curriculo prolongant fata bienni.
Se laxativum quondam Platearius Oxy
Tempore quinquenni validum servasse fatetur,
Seque dedisse refert febrientibus illud acute
Tutius in morbi curam regimenque salutis.

O X Y M E L J U L I A N I.

Oxymelle dato Juliani gutta profundis
Insita membrorum nodis, gelidisque flagellans
Ictibus articulos, gressus maturat et acris
Hospitis adventum metuens confusa recedit;
Arteticae gelidaeque indicit bella podagrae,
Purgat ab extremis, viscosos partibus imis
Eruit humores intricatosque resolvit,
Exerit occultos, quoniam subtilia multa
Et violenta nimis et acumine fortia, summum
Res attractiva recipit virtute potentes. —
Per quinos celebrata dies hunc mellis acuti
Usum praeveniat acidi diuretica mellis
Potio, guttosasque colant cataplasmata partes
De mollitivis condita et condita rebus:

1219) *Atque* Ls.; *quoque* π. *Lavato* forsan legendum pro *locato?* — 1222) *Dominatur* Ls.; *d'natur* μ; forsan *donatur?* — 1225) *Diatesarion* Ls.; *diatesar'on* μ; dubitans lego *Diatessaron*; *alcalcalon* Ls.; *alcancalon* π; lego *Alchancalon*, cfr. l. 1. v. 719. — 1226) *Oxicratiferam* Ls.; *oxi cum tibi factam* π. — 1227) *Prolungant* π; *prolongant* Ls. — 1228) *Oxi* π, Ls. — 1231) Manum felicius castigantem et meliores codices desiderat hoc capitulum de Oxy. — 1232) *Oximelle* π. — 1234) *Gressum* G; *gressus* Ls.; *g'ssu'* μ. — 1241) *Attrectiva* π, Ls. — 1242) *Celebrata* π; *celebrat* Ls. *Accuti* μ; *acuti* G.

Simplicis una dosis Benedictae vespere quinto
Visitet aegrotum, mediato tempore noctis
Mel, quod adinvenit Julianus, detur acutum. —
Integra vis eius geminis producitur annis.

LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

Quadrat opus coepti distinctio quarta libelli,
Cui quadraturae species accommoda servit;
Cum sibi propositum curas aperire salubres
Corporis humani, cuius conflata quaternis
Fabrica principiis, quae fundamenta creandis
Corporibus primasque bases natura locavit.
Quatuor affertur formis activa duabus,
Congruit illarum reliquis passiva potestas,
Illud idem viget et regitur virtute quaterna.
Confortant, reparant, et perdita cuncta reformant
Quatuor humores; et quadriformis in illo
Tempore quadruplici variatur mobilis aetas.
Sic liber iste meus, tamquam quadriga quaternis
Exagitata rotis, distinctis quadruviali
Ordine particulis, cui plus devotus habetur
Corporis humani meritum legemque fatetur.
Materiae respondet opus, nam tetrade tota
Corporis exstruitur dispensaturque supellex
Et sibi ius tetras in libro vendicat isto,
Eius quadrifico dum dividit ordine partes.
Sic mea quadruplici distincta foramine buxus
Quatuor emittit sonitus, cantusque quaternos
Tetrachorda chelis, nam quadriformis habetur
Defectus, qui naturae perversor iniquus
Corporis humani leges vitaeque tenorem
Funditus erueret, nisi quadriformis adesset

---

1) *Distincto* μ; *distinctio* G. — 2) *Cadratura* Ls. — 3) *Cum* π; *cui* Ls. — 17) *Materie* π; *cet'' de* μ; *tetrade* G. — 22) *Caternos* π; *quaternos* G. — 23) *Tetracorda* π, Ls; *tetrachorda* G.

Gratia, quam medicae prudentia suggerit artis
Provida quadruplici reprimens medicamine lapsus.
Si qua mei sonet austerum rota stridula plaustri,
Motus inaequalis medium si torqueat axem,
Lectoris teneras si non demulceat aures
Inconcinna satis et non bene tinnula buxus:
Si qua sonet fidis in cithara, quae facta rebellis
Pollicis imperio docti parere recuset:
Si qua incomposito surgat mea pagina versu
Dissona materiae, metrici compagine nexus
Angustisque pedum laqueis non passa teneri,
Nomina de Graecis quaedam detorta loquelis
Nunc nimis extendens, nunc sub brevitate coërcens,
Parcat in auctorem satyrae diffundere virus
Et labiis lector se circumcidat honestis.
Non suus ex lingua sed de lima rationis
Sobrius erumpat sermo, totumque refundat
Crimen in austeros et durae materiei
Difficiles nodos, quibus ut solvantur aperte
Fabrica nulla potest condignos cudere versus.
Una rei durae gravitas, quia vocis egena
Cum sibi privato nequeat sermone resolvi,
Mutuat externas voces, aliosque loquendi
Venatur peregrina modos, vultusque severos
Cultibus exornat tropicis, faciemque colorat
Barbariemque suam lascivo obnubit amictu
Ardua materies; ne, si duri sonus oris
In medio resonet, teneras perterreat aures,
Et rudis aspectus cupidos expellat amantes.
Dura rei gravitas, quantum lex sustinet artis
Et quantum viget artificis prudentia, pulchris
Se polit eloquiis, quae si tentare labores,
Zoile, nuda tui sensus linguaeque patebit
Orphana pauperies fietque notabilis error;

---

29) *Austerum* G.; *abst'm* μ. — 37) *Angustisque* π; *augustisq.* Ls. — 40) *Actorem* μ; *auctorem* G. — 41) *Rector* π, Ls.; lego *lector.* — 42) *Linga* μ; *lingua* G. — 58) *Sepelit* μ: *se polit* G. — 60) *Error* vel *horror* G.; *h'ror* μ.

Si sapis ergo tuas metire et discute vires,
Ne male praesumas alienis tendere factis
Invidiae laqueos et iustos carpere mores,
Ad quos nulla tui posset contendere virtus.
Sed perversa tui lex est et regula moris,
Ut quod scire nequis, id depreciare labores;
Quod facit ad laudis titulum famamque coronat
Et meritum cumulat: tua nam reprehensio laus est,
Et tua laus vitium redolet culpamque figurat.

POTIO SANCTI PAULI.

Quos apoplexiae pestis violenta procellat,
Quos furor invadit maniae, quos insita nervis
Sensifici motus vis sopitiva resolvit,
Potio restituit gaudens cognomine Pauli:
Asthmaticos cantus compescit, menstrua solvit. —
Hanc annis potes illaesam servare duobus.

PICRA GALENI.

Picra caput cerebri relevat, languoribus obstat,
Vim digestivam reserat, muliebria purgat,
Conceptumque iuvat, splenis nocumenta relegat.
Cum Picram voco simpliciter, Picram Galieni
Concipe, cuius erit ad plus dosis uncia vel sex
Dragmarum pondus, cum laxandi sua virtus
Parva sit et tenuis, cuius susceptio sellis
Quatuor aut quinque stomachum contenta movere. —
In bonitate sua geminos Picra continet annos.

PAULINUM.

Paulinum caput et stomachum de phlegmate purgat
Vimque nigrae cholerae fraenat, cerebrumque reformat,
Quod ventosa gravat pestis, quod rheuma fatigat:
Consulit epiphoris, prodest stillantibus uvis,

---

69) *Lax* μ; *laus* G., cfr. l. 3. v. 592. — 74) *Asmaticos* π, Ls. — 76) *Pigra* π, Ls.; sic etiam in inscriptione huius capitis. — 79) *Pigram voce* Ls.; *prigram voco* π. — 80) *Vel sex* Ls.; *ul' uj* μ. — 83) *Stomachum contempta* π; *stom̄ gtēpta* μ.

Dentibus afflictis, gingivis rheumate pressis,
Spleneticos curat, stomachi quoque vulnera sanat,
Ac omnem vomitum domat ex algore creatum,
Imperat anthraci, dysenteriae, paralysi.
Errorem maniae fugat et tenebras scotomiae,
Hydropicos, colicos, lethaeos atque caducos:
Asthmaticos libores mature reddit amicos.
Paulini super inductum cataplasma tumorem
Comprimit, et scrofos rumpit, scliroma remollit.
Quos avidae cognata gulae cacochymia ventris
Crudificat, gravigat, torquet, pallore colorat
Potio Paulini crebro repetita potenter
Excoquit et levigat, placat, faciemque venustat. —
Paulini stabilis viget aetas quattuor annis.

PANCHRISTUM.

Fertur Panchristum quasi totum crismate tinctum
Unctio vitalis vitae fomes specialis,
Cum datur in potu bene cum mulsa resolutum,
Hoc mulier sterilis solvit muliebre tributum;
Febriles fugat horrores, febriumque labores.

PILULAE AUREAE.

Quem nigra praevolitans fallit nubecula visum
Irradiant pilulae, quibus est cognomen ab auro:
Sincerant oculos, cerebri quibus influit humor,
Quos stomachi male dispositi vicinia laedit:
Insertas tunicis cataractas longius arcent,
Nascentes maculas removent, glaucomata delent,
Vimque nigrae cholerae reprimunt, tormenta doloris
Iliaci dirimunt ventosaque iurgia ventris.

---

89) *Ginguinis* π, Ls. — 92) *Antraci* Ls. — 94) *Let'os* μ; *lethargos* Ls.; lego *lethaeos*, cfr. v. 164. — 95) *Libos* π, Ls.; lego *libores;* libor i. q. livor, vel rheuma vel phthisis, nisi mavis legere *lithicos*, i. e. calculosos. — 97) Scrofos i. q. scrofulas; scliroma s. scleroma, tumor durus vel scirrhus. — 98) *Catochimia ventis* Ls.; *catochimia ventris* π; *cacochymia ventris* G. — 99) *Gravigat* μ, π, Ls.; *gravidat* G. — 100) *Cerebro* Ls.; *crebro* π. — 103) *Panchristum pro Panchrestum; Panχρm̄* μ. Crisma pro chrisma i. q. oleum sacrum. — 108) In inscriptione huius capituli addit Cod. π: *ad irradiandum visum.*

Quarum si propriam teneat confectio formam
Quam sibi constituit primaeva receptio, nullo
Purgandi praeiudicio laxare valebit:
Ocia venter aget, crepitus et murmura fient,
Nec stomachi ventos humorum terminat imber;
Pondere sub duplici pilularum cum stet acumen
Jurgia declinant stomachi ventosa, procellis
Imponit pluviosa suum resolutio finem.
Ex his quindenas pilulas denasve novenas,
Ut feret aegroti virtus, dabis ante soporem
Caule saginato, nebula vel pulte, vel ovo;
Dispensant usum variantque dósim pilularum
Vis, regio, tempus, aetas, complexio, sexus.
Quaestio discutitur nodosa et vindice digna:
In dandis pilulis cur abiecta paritate
Impar praefertur numerus? responsio litis
Excubat in foribus rationis acumine freta:
Mysticus est impar numerus et numine plenus,
Nam per eum regitur, omnis per eum moderatur
Actio naturae, dispensat cretica morbi
Tempora continui: numero Deus impare gaudet,
Et crisis imparium numero celebrata dierum
Plenius a morbi laqueis emancipat aegrum:
Facta pari numero morbi recidivat acumen. —
Temporis annalis his terminus est specialis.

PILULAE SINE QUIBUS ESSE NOLO.

Cum quibus esse volo laudant se nomine solo,
Plus sunt foecundae, nec sunt virtute secundae:
Fortius ad praedicta valent et promtius implent

---

118) *Valebit* Ls.; *valeb't μ.* — 121) *Cristet* Ls.; *c'stat μ;* lego *cum stet.* Sensus est: si pilulae aureae secundum antiquam (Nicolai vel Salernitanorum) praescriptionem conficiuntur, non nimis purgant, sed solum flatus movent; si vero duplex pondus acuminis pilularum (i. e. scammonii) inest, fiunt aquosae sedes. — 125) *Feret π; fert* Ls. — 126) Adminicula ad pilulas facilius sumendas; cfr. l. 1. v. 300. — 127) *Usum* Ls.; *ūm π.* — 128) *Complexio* G.; *compl'o μ.* — 129) *Quaestio* G.; *Qō μ.* — 136) Cfr. Virgilii eclog. 8. v. 75. — 137) *Cursis imperium π; crisis imperium* G., Ls.; lego *imparium*, cum crisis in die impari facta ad mentem veterum perfectior sit, et a recidivo morbo tutior. — 140) *Hic* Ls.; *hiis π.*

Quemlibet effectum, quem diximus esse priorum.
Pro rheubarbaricis scrupulis et myrobalanis
Et reliquis positis constat vis fortior illis.
Hae rubeam choleramque nigram cum phlegmate purgant,
Sub parvi ciceris specie debent pilulari,
Ut formae brevitas purgandi provehat actum.
Omne solutivum citius solvenda resolvit,
Quo citius fuerit stomachi virtute solutum,
Excitat activum passiva solutio motum;
Motus praecelerat, quia motio corpora turbat.
Potio compacta compactum solvere nescit,
Sed fluido stomachi multoque iugata liquori
Fluxilis effertur, liquefit virtute caloris,
Solvitur in partes et particulata vaporat,
Hic vapor inseritur duris, compacta resolvit,
Ad stomachum resoluta trahit fecumque lacunam.

PILULAE DIACASTOREAE.

Ex pilulis diacastoreis vino resolutis
Aut succo brasicae tepido piganive liquore
Naribus iniecto vis sensilis insita nervis
Lapsa reformatur, cerebri dolor exoneratur
Lethaeus gravis et stupidus scotosisque fugatur.
Gingivis acri suffusis rheumate, pressis
Dentibus ex causa simili sua conciliatur
Integritas, ciliique gravis pressura levatur.
Opticos reserant aditus et lumina purgant. —
Congruit his species piperis, formae brevitatem
Et numerum dosis exiguum compensat acumen,
Tres dabis aut unam varians pro viribus aegri.
In lavacro sedeat patiens aut proximus igni,
Ut calor interior adiutus ab exteriori

---

145) *Reubarbaricis* π. *Mirabolanis* π. — 147) *Haec rubeam* Ls.; *hae rubeam* π. — 148) *Cineris* G., Ls.; lego *ciceris.* — 155) *Meloque* π; *ml'oqȝ* μ; *multoque* Ls. — 156) *Liquefit* π; *liquescit* Ls. — 161) *Ante suca brasicae* π; *aut sucaro brasicae* Ls.; lego *aut succo brasicae. Pianive* π, Ls.; lego *piganive.* — 163) *Exhonoratur* π. — 166) Deest hic versus apud Ls., habet eum Cod. π. — 168) *Obticos* μ; *opticos* Ls. — 172) *Ut* μ; *aut* G.

Promtius humorem cerebri dissolvere possit.
Infusis pilulis nares sibi comprimat aeger
Per modicam conclusa moram virtus medicinae
Inseritur chymis, calefit, calefacta resolvit;
Providet hic aliud compressio sedula naris,
Ne cito respiret flatu medicina retento.
Naribus expositis et aperto protinus ore
Vertice declivi resolutis fraena relaxet:
Ne patiens recto si scemate se regat, humor
Rheumaticus rapido fluat ad vitalia casu
Et fiat cordis praeclusio nuncia mortis.
Contractum ex pilulis oleo sociata rosarum
Temperat ardorem naris decoctio malvae.
Ista melancholicis magis est medicina salubris,
Dura quibus cerebri substantia, frigida, pinguis.
At quibus est cerebri crasis humida, fluxilis humor
Et nimium tenuis, aut vis intensa caloris,
Talibus has pilulas sane non consulo dandas:
Incendunt cerebrum calidum, liquidumque resolvunt.
Frigida destituens sensum quos gutta resolvit,
Ore novem dentur: numerum discretio penset,
Sed scio mordaci quod acumine viscera laedunt,
Excoriant stomachum, cruciant ardore pudicum. —
In diacastoricis annis constare duobus
Integra vis et plena potest consistere virtus.

PILULAE OGDOMERAE.

Constat in ogdomeris nostrae pars magna salutis:
Lumina purificant, viscosaque phlegmata purgant,
Delent infusas tenues tunicis cataractas.
De quibus undenas cum vino vespere sero,
Vel dabis in mane prolongans tempora coenae.
Inscripti pilulis pro visu clarificando

174) *Dum solvere* π; *dissolvere* G., Ls. — 182) Recto scemate s. schemate, i. e. in situ corporis erecto. — 189) *Humida* G.; *h'uida* μ; *hervida* π. — 199) *Eytomeris* Ls.; sicut in inscriptione *emtomerae;* lego *ogdomerae* et *ogdomeris* scil. Pilulae de octo rebus, quae etiam Octomerae dicuntur et Optomerae, perperam omnino. — 203) *Dabit* π; *dabis* G.; *dab'* μ. — 204) *Inscriptae* π, Ls.; lego *inscripti.*

Nominis effectum reliquis solemnius implent,
Visum acuunt, reparant lapsum, servant reparatum.

PILULAE DE QUINQUE GENERIBUS MYROBALANORUM.

Myrobalanorum peripentamon dominatur
Cuilibet humori: pilulae nam phlegmata laxant,
Et duplicis cholerae enormia iura refraenant.
In febre non dentur, nec eis, quos felleus humor
Unicus infestat, nam phlegmate purificato
Insultus cholerae siccos depasceret artus,
Unde phthisis peiorque priore novissimus error.

PILULAE STYPTICAE.

Sunt pilulae nomen a stypticitate trahentes,
Claudunt matricis manantes sanguine venas,
Rheumaticos prohibent motus, fluxumque sigillant,
Viscera consolidant, rupta intestina renodant.
Ut claudam breviter: quicquid Diacodion implet,
Promtius instaurant et vitae fila renodant.
Quinque dabis solidas in vespere vel resolutas
Ex arnoglossae succo roseove liquore
Aut cum myrtino poteris praebere syropo.

PILULAE ANTE CIBUM ET POST.

Ante cibum pilulis anathymia solvitur omnis,
Venter laxatur, vis digestiva iuvatur,
Lege sui moris propriis si dentur in horis;
Euphraxis iecoris et splenis massa tumoris,
Labes rancoris declivibus eruta poris
Exstirpata foris fugit a genialibus oris;
Expurgant splenem, cor, hepar, caput, ilia, renem,
Lumbos, extalem, cellamque puerperialem.

---

207) *Mirabolanorum* π, Ls. — 212) *Succos* π, Ls.; *siccos* G. — 213) *Tisis* π, Ls. *Error* Ls.; *herror* π; *h'ror* μ. — 214) *Stipticitate* π, Ls. — 221) *Arnoglose* π, Ls. — 223) *Anachimia* π, Ls., lego *anathymia* i. q. anathymiasis. — 228) *Genialibus horis* π, Ls.; *genitalibus oris* G. — 230) *Excalem* μ; *escalem* G.; lego *extalem* i. q. intestinum rectum; cella puerperialis i. q. uterus.

Ut praeserventur mala, quae ventura timentur,
Ante cibum dentur, cui pravis membra replentur
Et nocuis chymis purgandis partibus imis. —
Quem tusis accusat, quia plenus sumta recusat,
Sic male dispositus eget ante cibum pilulari,
Ut calor ingenitus melius valeat recreari,
Ut confortetur stomachus meliorque paretur
Coctio chymorum, purgata fece malorum.
Nam cibus intrusus, nisi praeveniat medicinae
Conveniens usus, pariet fomenta ruinae,
Stabit iners pondus nec eum stomachi sibi fundus
Alliciet, non proficiet, sed sarcina fiet.
Peptica nutabit virtus et degenerabit
Actio naturae, pestis praesaga futurae,
Inde dolor multus, tumor, indignatio, ructus,
Nausea, singultus, ventris tortura, tumultus.
Nam calor occultus duplicata mole sepultus
Non feret assultus, nisi sit medicamine fultus. —
At qui sanus erit, quem plethora nulla procellat
Nec suspecta gravat cacochymia, si sibi venter
Stypticus extiterit, pilulas post prandia quaerit,
Ut postquam natura suos compleverit actus,
Atque cibi massam digesserit ordine certo,
Ignea terrenis disiungens, humida siccis,
Naturae levis a gravibus, subtilia grossis,
Blanda sequi possit et amica solutio ventris.
Fecum fermento post stypticitate retento,
Nascitur ex squibalis stomachi dolor exitialis
Et scotosis capitisque dolor consurgit acutus,
Cui vires adhibet calor in cerebrum revolutus.
Forma brevis, levitas virtutis, mulcebris actus
Postulat augeri numerum: tu quinque propines

---

233) *Nocivis* Ls.; *nocuis* π. — 234) *Tusis* π, Ls.; an *tisis* i. q. phthisis? an vero *tussis?* — 240) *Periet* π, Ls.; *pariet* G. — 249) *Plectora* π. — 250) *Cacochima* Ls.; *cacochinna* π, quare lego *cacochymia*. — 255) *Natura* Ls.; *naturae* π. — 257) *Fecis* Ls.; *fec'* μ; *fecis vel fecum* G. — 258) *Exquibalis* Ls.; *exquibal'* μ; ex scybalis i. e. ex duris fecibus. — 260) *Adhibet?* forsan *adiicit* vel *auget*. — 261) Forma brevis i. e. parva moles harum pilularum.

Triginta adiectis, pro viribus accipientis
Augens vel minuens; facit experientia doctum
Et numerum craseos rationis regula librat.

PILULAE ARTETICAE.

Vertebra, syndesmos, nervos genuumque lacertos,
Membrorum articulos, nodos, nexusque profundos
Purgant arteticae ciasim, tormenta podagrae;
Obsita rheumaticis purgant spondylia causis,
Cum per membra furit gelidus dolor articularis,
Quae malus assiduo stillamine percutit humor. —
Cum vesica malis et grossis obsita chymis,
Ex multis in se lapides commassat arenis,
Excoquit et solidat, quia respiracula desunt
Sublata proprii sibi libertate meatus:
Cum nephresis lumbos expugnat, cum paralysis
Motum et sensificum membrorum destruit usum:
Tam gravibus causis tam pravis atque verendis
Arteticis pilulis certa ratione mederis.
Sed digestivo medicamine praevenienti,
Sorbilibusque cibis mediocribus et moderatis,
Explorandi aditus sunt corporis atque recessus
Praetentando vadum si sit breve, sive profundum.
Corporis experta virtute levi medicina,
Postposita coena dabis undenas patienti,
Sive novem pilulas instanti tempore somni.
Sit semper medicina levis praenuntia fortis,
Quae paret ingressum, reseret penetralia ventris,
Tentativa movens praeludia, cruda resolvat,
Digerat humores, ut si medicina sequatur

---

265) *Mistum* Ls.; *m̄itum* μ; lego *numerum.* — 266) *Certebra sindesmos* π, Ls.; an *vertebra* quaerit Ls.; legendum omnino *vertebra* pluraliter, singularis numerus „vertebrum" saepius occurrit apud scriptores medii aevi. — 268) *Arth'e ciasim* μ; *artherue ciasim* π, Ls.; lego *arteticae ciasim;* ciasis i. q. ischias. — 269) *Spondilia* π, Ls.; i. q. spondyli seu vertebrae. — 271) *Quae malus* Ls.; *Q' malus* μ. — 276) *Longos* π, Ls.; lego *lumbos.* — 278) *Parvis* π, Ls.; lego *pravis.* — 279) *Arth'is* μ; *arthericis* G.; *artheris* Ls.; lego *arteticis.* — 280) Glossa marginalis vetus in cod. π: „quod non danda est laxativa medicina, nisi digestivis praecedentibus." — 283) *Praetemptando* μ; *praetentando* G. — 289) *Temptativa* μ; *tentativa* Ls.

Fortior, educi faciles minimumque rebelles
Inveniens chymos, ad purgandumque paratos
Promtius educat nullo comitante sinistro.
Haec tibi communis sit sanctio, regulá veri,
Naturae methodus: quod noxius et malus humor
Motus et attractus, nisi postea purificatus,
Influit articulis, ad membra dolentia motu
Praecipiti rapitur et iniquo fenore parvam
Rheumatici causam morbi subcrescere cogit.
Unde tibi, moneo, sollemni lege tenendum:
In causis gravibus acri de rheumate natis
Ne digestivi tentes medicaminis usum,
Consona naturae quin potio digna sequatur
Tempore danda suo, quae mota superflua purget.
Nec laxativam dare praesumas medicinam,
Quin digestiva sit praevia: sic faciendum
Exposcit ratio, sic exigit ordo medendi;
Hoc Hipocras auctor nostrae celeberrimus artis
Sanxit et instituit: disgesta iubet medicari. —
Vis, regio, tempus, aetas, complexio, sexus,
Forma, situs, status atque locus, mixtura viarum,
Membri nobilitas, sensus vel hebes, vel acutus,
Causa, genus morbi leges artemque medendi
Atque dosim variant, haec particularia librant
Sollerter logici rationum dogmate freti.
Susceptis pilulis tepidam mulsamve propines,
Si calidae virtutis erit stomachus patientis;
Sive merum calidum, si crudus; potio vini
Promtius accelerat sumti medicaminis usum,
Et digestivum stomachi corroborat actum.

---

291) *Nimiumque* π, Ls.; legendum puto: *minimumque* vel *minimeque*. — 295) Glossa marginalis vetus in cod. π: „quod usus digestivorum noceat, nisi sequente purgatione." — 302) *Temptes* μ; *tentes* G. — 308) *Ypocras actor* μ; *Hipocras auctor* G.; mutilatum Hippocratis nomen uti l. 3. v. 568. — 309) *Disiesta* μ; *disiecta* G.; lego *disgesta* vel *digesta*. — 315) *Sollert'* μ; *sollerter* G. — 318) *Sine modo choleram* Ls.; *siue mūm col'm* μ; lego *sive merum calidum*.

ROSATA NOVELLA.

Est nova quam, veteris dudum cedente senecta,
Usibus humanis novitas, gratissima rerum,
Conciliat; quae si fuerit confecta syropo,
Plus novitatis habet servandae temperiei,
Gratior efficitur mellis confecta liquore:
Ad id temperies trahitur peregrina caloris.
Distat ab extremis aequo moderamine formis,
Et sibi temperiem certa ratione meretur
Congrua naturae confectio digna Rosatae.
Sed desiccandi magis est proclivis in actum,
Quod sibi iunctarum mixtura probat specierum,
In siccis ideo dandam non consulo causis.
Acta suo simili cos est et lima caloris
Ariditas paribus tanta est concordia causis,
Quod dat eis validum coniunctio facta vigorem.
Nec tribuatur eis, quos fervor causticus urit,
Synthesis exurit, phthisis emolit atque resolvit.
Cum ptisana detur, ubi Damascenica pruna
Coxeris et violas, calidam pulmonis anheli
Dyscrasiam et iecoris tollit stomachique dolorem.
Sed cave ne praesens passiva potentior assit,
Neve suas partes vehemens interserat ardor.
Cum rosae vel myrtino sociata liquore
Fraenat sudorem, vomitum, ventrisque dolorem.
Cum gelida detur, sitis impatiens removetur.
Cum lacrymis roseis et pulvere cathariaci
Omni cardiacae confert mixtura Rosatae.
Commixto pariter Rhodostomate sumta frequenter

---

321) *Est nova quae* π, Ls.; *est rosa quam* G. — 323) Si cum syrupo confecta est Rosata, melius temperiem servat; si cum melle facta est, nimis calidae fit temperiei. — 326) *Addit temperiem* π, Ls.; lego *ad id temperies.* — 337) Synthesis i. q. atrophia. *Tisis emollit* Ls.; *tisis emolit* π. — 338) *Tisane* π, Ls. — 339) *Calidam* π, Ls.; *cal'am* μ. — 341) *Potentior* Ls.; *potior* π; *pot'ior* μ. *Assit* π. — 346) *Cateranici* π, Ls.; *cat'anici* μ; forsan *cathariaci* i. e. cornu cervi; cfr. v. 962. Platearius habet (expos. in Nicol. f. 389 b): „cardiacis convenit, si fiat subtilissimus pulvis de osse de corde cervi, pulverizatum subtiliter bulliat diu cum aqua rosea etc." — 348) *Rodostomate* μ, π, Ls.; forsan pro *Rhodostagmate*; Rhodosconia vocatur apud Matthaeum Sylvaticum, vox corrupta e voce Rhodostoma.

A morbi laqueis neutro mediante solutos
Temperat, et reserat, corroborat atque reformat. —
Terminat hanc annus, in quo suus inchoat ortus.

RUBEA TROCHISCATA.

Rubea trochiscata data si fuerit ptisanata,
Rheumaticae tussis in vino solvitur oris.
Sumta pari specie lapsatae subvenit uvae. —
Sanguineum sputum quocunque modo resolutum
Cum succo menthae cohibet stringitque repente.
Haematites, gummi, cinamomum, murtina, mastix
Arnoglossati muscillago dragaganti
Mixta dosi Rubeae pilularis scemata formae
Sumant: undenas aegro dabis ore tenendas.
Haec haemoptoicis est cura nimis specialis. —
Sistit anatropam succo plantaginis hausta,
Atque catatropam simili sub imagine sumta.
Ex cholera factum capitis potata dolorem
Constanter reprimit roseo sociata liquori.
Camphora, iusquiamus, opium, lactuca, papaver,
Mandragorae radix, oleo confecta rosato
Cum Rubea sic mixturae consortia servent
Illita temporibus, frontis regione peruncta,
Insomnes oculos recreant leviterque soporant,
Quos noctis facit excubias vis saeva doloris. —
Ex phrenesi male turbatos tranquillat ocellos,
Confovet, et recreat, et somno pascit amoeno,
Si cum seminibus pilulata papaveris albi
Lactucaeque simul patienti vespere detur,
Dum phrenesis fervet, cerebri dum saevit in arce

---

349) Reconvalescentes Rosata cum Rhodostomate reficit, qui non his duobus medicamentis sed aliis a morbo longiore liberati sunt. — 352) *Re-rocrotiscorta* π; lego *rubea trochiscata. Tisanuta* π, Ls. — 353) Locus corruptus, voces *in vino* certe falsae, forsan loco earum legendum *ieiuno*, vel *ieiuni*; sed plura adhuc in ipso hoc versiculo mutanda sunt, quae peritioribus relinquo. — 357) *Emalicos* μ, π; *ematicos* Ls.; lego *haematites. Murcina* Ls.; *mu'cina* μ, forsan *murtina* s. *myrtina*. — 358) *Arnoglosati* μ, π, Ls.; lego *arnoglossati*. — 359) *Scemate* π, Ls. — 360) *Dabit* π, Ls. — 361, 362) Anatropa et catatropa, subversio stomachi versus superiora et versus inferiora. — 366) *Camfora vis camuso pium* π, Ls.; lego *camphora, iusquiamus, opium*. — 368) *Rubera* π; *rub'a* μ; *rubea* Ls. — 376) *Fervet* π; *servet* Ls.

Fellea materies, dum perfurit ira caloris,
Dum variis errat acies delusa figuris,
Dum vaga mobilitas oculos rapit ordine nullo,
Dum caput atque manus, dum singula membra moventur,
Verbaque dum nulla mentis signata moneta
Litibus et variis iactantur plena querelis,
Nulla dosis Rubeae simplex vel mixta latentes
Corporis interius audebit tangere sedes.
Turbine sedato, phrenesis languente procella,
Si qua insomnietas superest inimica soporis,
Poscit opem Rubeae; nec dedignatur amicae
Explorare fidem, cuius petit arte iuvamen.
  Militat adversus triteum, cui fronte rebelli
Fortiter obsistit data praecedentibus horis,
Si sit cum calida vel cum Rhodostomate sumta.
Quando febris trahit ex modica virtute vigorem,
Et sibi materiam pausillus suggerit humor,
Cum typus anticipat et motu praecelerato
Acrius insurgit accessio tempore maior,
Cum minus ardori prorsus sudore remoto
Succendi facilis humorum massa resistit,
Cum minus est mordax typici punctura rigoris,
Jure typi fracto cum iam calor imperiosus
Subiectum sibi solus habet tenuatque vaporem,
Qui demta sibi grossicie tranquillius urit,
Urinae color ascendit tenuique relicto
Vertitur in spissum decocti forma liquoris,
Cum propriis signis febris matura probatur,
Et tandem bene digestus cognoscitur humor:
Hoc casu Rubea specie collata priori
Pulsu, temporibus et naribus inde perunctis,
Sed prius oblato medicamine convenienti,
Delet et extirpat febrem, munusque salutis

---

382) *Luctibus π*, Ls.; *litibus μ*, G. *Lactantur π*, Ls.; lego *iactantur*. — 386) *Insompnicies* Ls.; *insompnietas π*. — 389) *Tritum π*; *triterum* Ls.; lego *triteum*. — 390) Febrem tertianam pellit Rubea, si cum aqua calida vel rosea datur ante paroxysmum. — 391) *Calida π*, Ls.; *cal'a μ*. *Rodostomate* Ls. — 398) *Vigoris* Ls.; *rigoris π*. — 402) *Calor* Ls.; *color π*. — 406) Scilicet Rubea cum Rhodostomate.

Impetrat, amissas reparat viresque reformat.
Ense mixta notham subvertit quatriduanam
Et febrem expugnat salso de phlegmate natam.
Compositis medicina datur promiscua causis
Simplicibus simplex: mixti medicaminis usum
Natus adulterio quaerit promiscuus humor.
Temporibus certis data pro modulo rationis,
Ut morbi tenor exposcit, quaevis opiata
Fungitur officio triplici, nam caumate febris
Confractos et laxatos corroborat artus:
Reliquias pravae consumit materiei,
Et claudit putridi mala respiracula fumi.
Arbitror et quartum praedictis adiiciendum:
Ne recidiva mali fiant vestigia morbi,
Ne suspecta crisis aliquo rancore relicto
Excitet extinctam recidiva lite querelam. —
Continuis febribus huius medicaminis usus
Noxius est, ideo reprobus multumque timendus. —
Complet ei proprium lustralis terminus aevum.

REQUIES.

Est Requies tranquilla quies et amoena soporis
Pax oculis, quos pervigili languore molestat
Somniferae nebula demens vapor igneus aurae,
Cum capitis proram cholerae movet ira furentis,
Cum cerebrum cruciat rabies vesana doloris,
Dat placidam Requies requiem, sedatque dolorem,
Fessaque lethaeo perfundit lumina somno.
Fronti et temporibus superaddita, naribus unctis,
Mixto lactucae succo, vel symphoniacae,
Sive papavereo vel cortice mandragorato,

---

411) *Ense* π, Ls.; forsan Rubea ense mixta est i. q. Rubea cum acumine, i. e. Rubea, cui additum est scammonium ad purgandum phlegma salsum. *Nochera* π, Ls.; *noth'a* μ; lego *notham*. — 418) *Ca'nate* μ; *cannate* π; *caumate* G. — 420) *Parvae* π, Ls.; lego *pravae*. — 424) *Alito* π; *alico* μ; *aliquo* G. *Raucore* π; *rancore* Ls. — 425) *Rite* π, Ls.; lego *lite*. — 430) Contra insomnietatem in phrenesi; haec verba addit glossa vetus marginalis Codicis π. — 431) *Somnifera* Ls.; *somniferae* π. — 432) *Cholera* Ls.; *cholerae* π. — 436) *Timporibus* π.

Omnibus aut solis vel seminibus bene tritis,
Ex ovi lacrymo confectis, et bene mixtis.
Ex violis facto Requies resoluta syropo
Hausta sui melius effectum nominis implet,
Atque soporiferum perfectius expedit usum.
Fortibus et calidis substantia, deliciosis
Colatura datur: formam dosis atque tenorem
Alterat et variat patientis dissona virtus.
Cui cholerae craseos vis ignea, vivida virtus,
Disponit cerebrum nativa potentia certis,
Quod calidum probat, indiciis, quem plena vigoris
Provehit ad cumulum virtutis fortior aetas:
Huic cholera vexante caput, stimuloque doloris
Insurgente gravi, dulces turbante soporis
Illecebras, cum nulla subest praesentia somni,
Quum iam decludit oculos phantasticus error:
Hoc casu Requies intus suscepta soporem
Concilians oculos opio pietatis amoenat:
Membra quiete levat et respiramine somni
Naturam recreat: cholerae grassantis acumen
Temperat et sensum reprimit motumque doloris.
Causa mali decimata prius leviterque soluta,
Ut iubet et dictat faciendum regula morbi,
Postea sumendae iuvat effectum medicinae,
Et facit ut proprium maturius expleat actum.
    Frigidior cunctis cum sit Requies opiatis,
Non est danda seni, puero, nunquam mulieri
Nec iuveni, quem phlegmaticum ratione patenti
Signorum series fidoque charactere signat,
Fluxile cui semen, gelidum caput, humida naris,
Sensus iners, hebes ingenium, pigritia motus,

---

447) Glossa vetus marginalis Cod. π: quod non sit danda Requies nisi fortibus et habentibus calidum cerebrum. — 449) *Quam plena* π, Ls.; lego *quem plena*. — 454) *Quae* π, Ls.; *Q'* μ; lego *quum*. *Decludit* π, Ls.; forsan i. q. aperit, forsan legendum *deludit*. — 455) *Ratus suspecta* μ, π, Ls.; lego *intus suscepta*, cfr. v. 481. — 457) *Lavat* Ls.; *levat* π. — 458) *Recreat* G.; *rec'at* μ. — 464) *Non* Ls., *cum* π. Quibus Requies non sit danda. Sic glossa marg. cod. π. — 465) *Nunquam mulieri* G.; *ñ mulieri* μ; legerem *non* vel *nec*. — 468) *Humida* G.; *hūida* μ.

Insipidus gustus, sputorum copia, carnis
Mollities, somni gravitas, ignavia mentis;
Huic data si fuerit, mea quem descriptio talem
Exprimit et pingit, in quo vis parva caloris
In venis latitat ex primis insita causis,
Congelat humores opii virtute sopora,
Sanguineos stagnat rivos clauditque meatus,
Et reddit stupidos lethali frigore nervos:
Languida perpetuo condemnat lumina somno. —
Ad proram cerebri raptus cui felleus humor
Inducit phrenesim, cui lenta aut fervida febris
In venis habitat, non intus suscipiendam
Consulo, nativum ne debilitando calorem
Impediat criticos motus virtute gravata:
Exterius licet apponi cataplasmatis usum,
Sed cave, quod criticis non apponatur in horis.
Nam est empirici sententia vana Rigordi
Judicio reprobanda meo, damnabilis omni
Digna cruce atque sui titulo fuscanda patroni,
Qui Requiem monachis in acutis febribus offert
Et requiem facit aeternam, modicumque capacem
Obscurum nigris monachis ingurgitat orcum. —
Tempora plena status dabit annus ei geminatus.

RHODOZACCARA.

Temperat ardorem stomachi removetque dolorem
Ex causa simili Rhodozaccara, si patienti
Cum gelida detur, fluxus per eam cohibetur,
Quem contentivi vis imbecilla vigoris
Ingerit; admixto Rhodostomate vel pluviali,
Caumate febrili dissutum et rarificatum
Confortat stomachum pro ponticitate rosarum,
Roborat invalidum, partes conducit in unum. —

475) *Sopora μ; soporat* G.; sopora i. q. soporifera. — 476) *Stannat μ; stagnat* G. — 486) *Non est π,* Ls.; lego *nam est*, sic etiam Ackermann (regim. Salern. p. 63). — 488) *Atque sui π; avique si* Ls. — 494) *Rodozaccara π,* Ls. — 497) Admixta aqua rosea vel pluviali. — 498) *Dilutum* Ls.; *dissutum π.* — 499) Ponticitas i. q. sapor austerus cum virtute adstringente.

Os replet utentis flatus spiramine laetus;
Debile cor recreat et amoeno pacis odore
Cardiacon curat, viresque ex felle trahentem
Aeque diaphoresin, quae largis membra resolvit
Sudorem rivis, data cum rosea patienti.
Sic cohibet vomitum, sic sputum sanguinolentum.
Perfectam duodena dosim dat portio librae. —
Inchoat hanc annus primus completque secundus.

RHODOMEL.

Impetrat ex melle Rhodomel vim mundificandi,
Vim confortandi trahit ex virtute rosarum.
Permodico salis apposito tepida resolutum
Mundificat stomachum, lavat et depurgat eundem,
Vim detergendi sordes et mundificandi
Cui nervos mordens stimulus salsedinis addit.
    Impediens pexim stomachum si frigidus humor
Crudificet, confert melli commixta rosato
Coctio masticis et marathri dulcisque cimini.
Colatura datur teneris et deliciosis,
Quos rancore gravi levis indignatio vexat:
Sed cum tota datur substantia, plus operatur.
Phlegmaticis favet aestivo, calidis hiemali
Tempore Mel roseum confert solatia vitae;
Dissona subiecti variat complexio tempus.
Est quoque plus aptum reliquis mulieris ad usum.
    Quod bene purgatis, non ad plenum medicatis
Corporibus detur, ut eo natura iuvetur,
Ut stabili fine concludat opus medicinae,
Ut stomachum purget, qui plenus rheumate turget,
Ut lavet et ventris villos ab acumine mundet,

---

501) Ad anhelitum aromatizandum; Gloss. marg. cod. π. — 504) *Atque* π, Ls.; lego *aeque*. *Lagis* μ; *largis* G. — 507) *Per factum* π, Ls.; lego *perfectum*. — 509) *Rodomel* π, Ls. *Modificandi* Ls.; *mōdificandi* μ; lego *mundificandi*. — 511) *Per monito* π, Ls.; lego *permodico* i. e. pauxillo, cfr. Platearii lib. circa instans lit. R. 1, cap. de rosa. *Tepido* Ls.; *tepida* π. — 515) Pexim i. q. pepsin s. digestionem. — 523) *Subrecti* Ls.; *sub'ti* μ; *subiecti* G. — 525) Quod suppleat defectum semiplenae purgationis. Gloss. marg. cod. π. — 527) *Stabuli* π; *stabili* Ls.

Quod clausum in villis et inaequa sorte cohaerens
Vim dysenteriae pariat causamque ruinae.
Quod non legitimam teneat purgatio metam,
His poterit signis dubiae clarescere menti:
Fit linguae sapor horribilis, turbatio gustus,
Nausea, singultus, rancor, stomachique tumultus,
Membrorum gravitas, ani punctura, tenasmon,
Tortio, rugitus, ructatio, gutturis ardor:
Aret, amarescit, sitit os, languescit orexis. —
In Rhodomelle dosim librae pars sexta coaequat. —
Integrat hoc melius et complet tertius annus.

S O T I R A.

Sotira salvatrix, naturae conciliatrix:
Haec data cum mulsa causae radice revulsa
Cephaleam curat, quae multo tempore durat.
Subsidium lucis fert auxiliare caducis.
Vim fraenat maniae turbantis regna sophiae.
Auribus impluta muliebri lacte soluta
Excitat auditum ventoso turbine tritum.
Subvenit asthmaticum, tussim compellat anhelam,
Et stomachi sepelit de frigiditate querelam.
Contra singultum stomachi vomitusque tumultum
Praevalet haec multum, nec eum dimittit inultum. —
Cum mulsa data pleureticis in fine medetur,
Ut bene purgetur sanies et mundificetur. —
Extenuat iecoris tetanos, labemque coloris
Icterici mundat, cum felleus humor inundat. —
Cum pusca vel cum plantaginis hausta liquore
Sanguineum sputum leviter domat absque labore,
Et fluxum fraenat ventris, vomitumque catenat.
Quos trahit insomnes oculos vis saeva doloris
Sotira tranquilli demulcet pace soporis.
Cum dolor arteticus saevit membris inimicus

530) *Quam* π, Ls.; lego *quod.* — 531) *Dissenteriae* π, Ls. — 532) Signa imperfectae purgationis. Gloss. marg. cod. π. — 544) *Caducum* π, Ls.; lego *caducis.* — 548) *Asmaticum* π. — 554) *Caloris* π, Ls.; lego *coloris.* — 557) *Leviter* G.; *leūr* μ.

Cum per membra furit, cum brachia, crura perurit,
Sotira languorem sepelit praestatque vigorem
Bardanae sive sociata liquoribus ivae.
Pestiferum virus, quod scorpio, vipera, tirus
Ingerit, expugnat valide mortique repugnat.
In febre quartana, longa licet et veterana,
Est medicinalis, est utilis, est specialis.
Vim chronicis morbis, quos fundat longior aetas,
Ingerit et proprias compellit stringere metas.

STOMATICON.

Cui condescendit devotius et famulatur,
Cui magis obsequitur, trahit a stomacho sibi nomen
Stomaticon, quamvis ipsum productio laxet,
Contrahat hoc brevitas, sed derivatio tempus
Alterat et primae commutat originis usum.
Spargitur in varias species, quas dissona virtus,
Discolor effectus, dispar confectio reddit
Dissimiles; patet ex titulo distinctio rerum,
Officii meritum subiecti forma fatetur.
Est quod confortat, quod laxat, quodve calorem
Auget et exacuit, quod temperat atque remittit.
Mollibus et teneris, quos ipso nomine terret
Potio, quos solo movet et funestat odore,
Quorum delicias nostro nisi congruus ori
Jocundusque sapor pungens acuensque palatum
Stomaticon, quod laxandi sibi vendicat usum,
Alludit gratius veniamque sapore meretur.
Sub dulcore latens vis laxativa superbi
Delicias oris deludit: sic cibus hamum,

---

564) *Uvae* Ls.; *iue μ*. — 565) *Tigrus* Ls.; *tirus π;* tirus vel tyrus vel thirus forsan a graeco ϑηρ vel ϑηρος? est species serpentum, de qua vide Jacobi de Manliis de Bosco luminare maius, Lugd. 1536. fol. f. 45 a. — 568) Specialis i. q. specifica. — 570) *Proprias π; proprius* Ls. — 571) Inscriptio huius capitis *Stomaticon* deest apud Ls., ad marginem habet eam π. *Vi π*, Ls.; lego *cui*. — 574) *Haec π; h' μ;* lego *hoc*, scil. Stomaticon. — 575) Sensus esse videtur: Stomaticon vox a voce Stomachus derivata est, quamvis haec vox longam, illa brevem pronunciationem habeat? — 578) *Dissimilis* Ls.; *dissimiles π*. — 580) *Et* Ls.; *est π*. Quatuor species stomatici: Confortans, laxans, calidum, frigidum. — 584) *Noster π*, Ls.; *nostro* G. — 587) *Gravius π*, Ls.; lego *gratius*.

Mel operit virus, sic pravae nubila mentis
Celat et occultat ficti fallacia risus.
Acribus inserta geminis res unica dulcis
Delet et excusat acidi nocumenta saporis.
Sic tegit errorem prudentia, gratia culpam,
Pax odium, vitium virtus, concordia litem.
Tota nec ad plenum nondum deducta tenorem
Ex hoc completur purgatio fine decenti.
Confortativum crudum corroborat alvum,
Excitat invalidam pexim recreatque calorem:
Clausas visceribus ventosas dissipat auras.
Stomaticon, quod frigiditas disponit, acutis
Subvenit et phthisicis, sitibundis, extenuatis:
Temperat ardorem stomachi febrisque calorem:
Vim reparat membris ex caumate debilitatis.

TIRIACA MAGNA.

Quos firmat veterum praescriptio facta dierum,
Qui nequeunt aliis plene mansuescere causis,
Expugnat validae morbos virtus Tiriacae,
Elidit paedicon quod fundat frigidus humor,
Addita quo fuerit decocta pionia vino
Promovet antidoti purgatio facta vigorem. —
Jus apoplexiae solvit, si mixta bibatur
Castorei in vino, vel ea si lingua fricetur,
Dentibus imposito cuneo, sed vertice prono
Sit declive caput ut aquosus lubricet humor. —
Ex vitio natam stomachi curat scotomiam
Masticis atque nucis muscatae mixta Lyaeo. —
Tollit hemicraneam vino resoluta tepenti:
Phlegmate viscoso factas vel rheumate crudo
Obturante aditus causas pulmonis anheli
Diluit et raucae tollit suspiria vocis.

---

594) *Legit* Ls,; *tegit* π. — 599) *Invalidum* Ls.; *invalidam* π. — 602) *Tisicis* π, Ls. — 607) *Tiriacae* π, Ls. — 608) Paedicos i. q. epilepsia, cfr. l. 1. v. 434. — 612) *Castoreum* π, Ls.; *castorῖm* μ; lego *castorei in.* — 616) *Masticum atque nucem* π; *mastic' atqȝ nuc'* μ. — 619) *Obstantes* G.; *optante* π, Ls.; *obtante* μ; lego *obturante.*

Cantibus asthmaticis tranquilla silentia ponit:
Cui commisceri debent liquiricia, gummi,
Et tunc sub pilulae forma teneatur in ore.
  Olibani resoluta mero data nocte silenti
Subvenit arteticis; quae si ptisanata bibatur,
Claudit haemoptoici valide stillamina sputi;
Sidia cum ptisana vel centinodia cocta
Provehit effectum fluxumque potentius arcet. —
Cum rarefacta fervoris acumine vena
Extra respirans sanguis de vase resudat,
Non est legitimus nec nostrae consonus arti
Hoc casu exhibitus huius medicaminis usus,
Sed cum sola facit venae corruptio fluxum.
  Ictericis ex felle nigro patientibus obstat
Cum rebus data leptomeris; pariterque medetur
Hydropicis, quos humoris fermentat aquosi
Noxia materies laxos diffusa per artus. —
Fert peripleumonicis reparandae grata salutis
Munera, cum pravus iam se purgaverit humor
Congesti rupta penitus compage tumoris:
His data cum vino vulnus depurat et unit
Aequali sibi concilians distantia nexu. —
Iliacos domat insultus, quos algidus humor
Viscosus, vitreus, vento mediante creavit. —
Intestinorum plagis potata medetur,
Humorum quas congeries saniosa creavit,
Atque tumor putridus non depuratus ad unguem,
Si mollitivo clysteri praeveniente,
Cum calido resoluta mero detur patienti.
His et haemoptoicis eadem sit cura medendi.

---

621) *Asmatis* π, Ls. — 625) *Tisanata* π. — 627) *Tisana* π. *Continodia concta* π; *cocta* G. — 629) *Puna* π, Ls.; lego *vena*, nisi mavis *pinna* i. e. lobus pulmonis. Sententia auctoris est, non porrigi debere theriacam in haemoptysi ex diabrosi orta. — 631) *Consonis* π. — 634) *Thict'icis* μ; *thicticis* Ls.; lego *hictericis* vel *ictericis*; cfr. v. 874. — 640) *Timoris* π, Ls.; lego *tumoris* i. e. vomicae, cfr. v. 809. — 641) *Hii* π; lego *his*, scil. peripleumonicis. — 642) Oras ulceris invicem appropinquans. — 644) *Curavit* μ; *creavit* G. — 645) Ad consolidanda vulnera intestinorum ex male curato apostemate. Gloss. marg. cod. π. — 646) *Curavit* μ; *creavit* G. — 649) *Meo* μ; *mero* G.

Ad nephresim cum saxifrago milioque bibatur,
Sed causam libret medicinae providus auctor,
Ne si forte malum calidus fundaverit humor
Exacuat similem similis medicina dolorem. —
Addita musceleo vel cum cressone soluta,
Syringa tenui virgae transfusa virili
Eruit euphraxes lapidum, reseratque viarum
Angustos aditus. Oleo resoluta tepenti
Junctaque bombaci colicam domat atque tenasmon
E gelidis chymis orbi submissa pudico:
Si dolor intrusus radices altius egit,
Tunc valet iniecta cum clysteri Tiriaca,
Commixtis sibi musceleo, sale, sulphure, malva.
Cum succis arthemesiae data menstrua purgat
Hausta vel inferius per vulvam pessarizata.
Exanimem foetum pellit fratremque Salernum:
Degeneris formae monstrum enormis geniturae,
Prodigium natae noviter conforme suillae,
Sed magis horrendum specie visuque pavendum,
Matronae Samnitis habet praecurrere partum,
Quod socium maturato iam tempore partus
Praevenit infantem, cum quo sibi lectulus idem,
Una domus fuerat, eadem substantia victus,
Matricis quam cista suis collegit in ulnis.
Ostia naturae reserans et claustra monetae,
Sternit iter, tentatque vadum, praenunciat ortum
Vernula funestus et subplantator iniquus

---

652) *Medicamine* π, Ls.; lego *medicinae*, cfr. l. I. v. 172. — 653) *Malis* π, Ls.; lego *malum*, cfr. v. 762. — 659) *Bunbaci* μ; *bombaci* π, Ls. — 662) *Tiriaca* π, Ls. — 665) *Vulnera pessa rizata* π, Ls.; lego *vulvam pessarizata*. — 666) *Fratremque* Ls.; *fre'mqȝ* μ. Glossa marginalis cod. π addit: Ad expellendum frēm Salernitanorum. Cfr. Ackermann regim. Salern. p. 52. Quantum ego de hac re satis obscura compertum habeo, Frater ille Salernus seu Frater Salernitanorum nil aliud est, quam monstrosus gemellus, qui primus ex utero egreditur et (secundum opinionem vulgo receptam) alteri gemello vel ipsi puerperae mortem conciliat, si vivus ipse nudam terram tangit. Hac ex causa mulieres Salernitanae terram stramentis tegunt et baculos paratos tenent, ut interficiant monstrum, antequam vivens nudam terram tangat. Itali ita proprium sibi et inquilinum putant hunc semimonstrosum gemellorum partum, ut inde uxorum fidem coniugalem diiudicent. — 675) *Hostia* μ; *ostia* G. — 676) *Temptatque* μ; *tentatque* G. — 677) *V'nula* μ; *vernula* G.

Expositus luci dulces praeconcipit auras,
Infanti primae bravium rapiens geniturae.
Se pater Italicus probat hoc praecone parentem,
Perpenditque suae iam vera prognostica prolis:
Sic probat uxoris meritum, talique sigillo
Imprimit et signat devoti foedus amoris.
Omine felici gaudet matrona, nec ipsam
Instantis gravat ex partu pressura doloris:
Alleviat mens laeta malum, pondusque laboris
Exonerat; leve fit, quod sustinet aequa voluntas.
Inde pudicitiae dotes, salvique pudoris
Allegat titulum; quae formae forsan inhaeret
Inde resarcitur culpae scissura prioris:
Impetrat hoc solo veniam redimitque reatum.
Quam licet accedens intermolat advena Francus
Concutiatque vagus mercator plus mulieri
Gratus, privato dum partus limine tale
Prodeat ostentum, morum se laude coronat.
Morte perit subita mater, si corpore nudo
Contingat nudam deformis bestia terram:
Unde domus variis substernitur area pannis,
Interimunt baculis animal lignisque receptum,
Eius ut interitu salvetur vita perennis.
Naturae hoc vitium, tam detestabile sortis
Dedecus humanae, demissam coelitus iram,
Numinis offensi vindictam, infame tributum
Gens Beneventana satagit transferre Salernum,
Ut cum participes habeat sociosque pudoris,
Immeritamque suo condemnat crimine gentem.
Absit ut egregiam talis nota polluat urbem
Cuius forma nitet late diffusa per orbem

680) Glossa marg. cod. π: Italicus pater gaudet harpa generato. — 684) Glossa marg. cod. π: Quod mater casta probetur ex generatione harpae. — 686) *Alleuiat* μ, Ls.; *allenit* G. — 690) *Cissura* μ; *scissura* π, Ls. — 692) *Quod* π, Ls.; lego *quam*. — 696) *Parit* π, Ls.; lego *perit*; cfr. l. 2. v. 263. Glossa marg. cod. π: Si harpa tangat terram nudo corpore matrem interimit. — 697) *Cum tingat* π, Ls.; lego *contingat*. — 698) *Area* G.; *ar'a* μ. — 699) *Interimit* π, Ls.; lego *interimunt*. — 701) Glossa marg. cod. π: Quod Beneventani hanc genituram harpini imponant Salernitanis. — 707) Urbem, scil. Salernum.

Quam medicinalis ratio, quam physicus ordo
Incolit atque regit, quam nostrae providus artis
Cultus, odoriferus specierum inbalsamat orbis.
Si daret huic monstro corruptio spermatis ortum
Herbarumve esus, vel menstruus humor abundans,
Aut intemperies matricis, sive superni
Ultio iudicii meritis inflicta priorum,
Physica per species, herbas et aromata totum
Deleret vitium, causamque mali removeret:
Sanctus et assiduo placatus thure Mathaeus
Compatiens populo coeli converteret iram.
Pota venenatos et se super illita morsus
Delet et occurrit susceptis ore venenis,
Diptamno, mentha mixtis et aristolochia. —
Lepram cum succo menthae potata coërcet,
Nam quoniam per eum pellit virtute venenum,
Foeda venenosi dirimit contagia morbi.
Veram quartanam tepido sociata Falerno
Et typicam solvit vitreo de phlegmate febrem;
Sed laxativa nisi praeveniat medicina
Simplicis in duplicem facilis conversio fiet.
Nam calor antidoti dum crudis nec resolutis
Inseritur chymis, partes exhaurit aquosas,
Combibit aërias, quarum substantia mollis,
Lubrica, fluxilibus magis apta subire caloris
Imperium, quibus absorptis grossisque relictis
Durior et solidae speciei forma resultat,
Quae simul est ignis et terrae filia, quamvis
Saepe suum massae terrestri debeat ortum.
Sic febris insolito constans fundamine saevit
Acrius insultu numeroque et tempore maior:

---

711) *Odoriferis π,* Ls.; lego *odoriferus*, nisi mavis *odoriferis sp. inb. ortis* i. e. hortis, vel *odorifero sp. inb. orbe?* — 715) *Judicii π,* Ls.; *supplicii* Ackermann regim. Salern. p. 52. — 718) St. Mathaeus Evangelista, urbis Salernitanae patronus, cuius corpus inde ab anno 954 ibi servari creditur; v. Antonii Mazza urbis Salernitanae historia cap. 6. in Graevii et Burmanni thesaur. antiquitat. Ital. Tomi IX. Parte IV. pag. 18. — 722) *Siptanio menta mixtis et artologia* Ls.; lego *Diptamno m. m. e. aristolochia.* — 726) *Potio π,* Ls.; *pō μ;* lego *tepido.* — 737) *Deleat π; debeat* Ls.

Unde sibi caveant Montani pharmacopolae
Verbosi, vacui, fallaces Quintiliani,
Quos facit artifices attritae frontis egestas
Quos gula, quos stimulat et cogit avara dolosi
Ambitio nummi carmen ructare Salernum,
Quos non artis amor, non fama, sed ambitiosi
Incitat et pungit venalis gratia quaestus:
Non male praesumant genus hoc tentare medendi,
In quo plus valet ars, quam praeceps alea casus.

Frigore letali subito quae membra soporant,
Et furtim tacitas faciunt in vulnere mortes,
Quae rapidi festiña movent discrimina morbi,
Occulti illorum gladii, quos tollit in altum
Mors aliena diu votis optata malignis,
Expugnat validae data toxica vis Tiriacae,
Et vitae igniculum geniali sede retrusum
Jam pene extinctum rursus viviscere cogit.
Particulata dies cordis, prius apta subire
Luminis eclipsim, pulsa caliginis umbra,
Ut calor antidoti membris vitalibus haesit,
Integra iam radiat et pleno lumine fulget.
Sed properes! negat inducias violentia causae,
Instans cura malum minuit, dilatio firmat;
Dum nova, dum rudis, dum primula causa nocendi,
Instanti curae succumbit, adulta resistit.
Dum tener est, nondum in solidum radicibus actis,
Interimi debet in primo semine morbus:
In potu data cum gelida membroque dolenti
Addita, dum nondum febrilem prodit in actum.
Destruit anthracem, cui vim mixtura ministrat

744) *Ruptare* μ; *ructare* G.; sic etiam Ackermann (regim. Salern. pag. 53), qui Monspelienses medicos itidem carmen medicum, ad imitationem carminis Salernitani, edidisse putat. Ceterum saepius apud scriptores medii aevi occurrit vox ruptare pro ructare, cfr. (Adelung) glossar. manuale ad scriptores med. et inf. latinit. Tom. V. p. 772. — 747) *Tempture* μ; *tentare* G. — 749) Contra toxicum. Gloss. marg. cod. π. — 754) *Tiriacae* π, Ls. — 755) *Cede* π; *sede* G. — 761) *Properas* π, Ls.; lego *properes*, nam festina curatio commendatur. *Curae* Ls.; *cerae* π; *c'e* μ; *causae* G. — 762) *Instat* π, Ls.; lego *instans*. *Malis* π, Ls.; *mal'* μ; lego *malum*, cfr. v. 653. — 769) *Antracem* π, Ls.

Sanguinis et cholerae nigrae cum felle rubenti,
Sanguine sed primum vena ex matrice minuto,
Si faveat virtus, si non occurrerit aetas,
Synochina crasis, si iusserit id faciendum
Aemula naturae longaevi regula moris.
Continuant illi stabilem sex lustra vigorem.
Summa trium dosis est dragmarum, dandaque solis,
Quos gravior casus extremaque causa molestat.
Unica dragma dosis minor est, duplicata secunda. —
Tutius hanc stannata tenent et plumbea vasa;
Terrea corrumpunt, nisi quorum concava plumbo
Tecta superficies plumbi mentitur honorem;
Vel stannum simulans terrae figmenta resignat.

TRYPHERA MAGNA.

In graeco trypheron fertur iocus aut iuvenile,
Estque tropos succus, alius trophos, unde trophaeum:
A trypheron Tryphera, quae morbi pelle vetusta
Et senio pulso corpus novitate salutis
Innovat ac hominem laetum facit ac iuvenilem.
At quoniam succis praegnans foecundaque fructu
Succi nomen habet et sensum nominis implet,
Et quia languores naturae conterit hostes
Inque fugam vertit, sensum nomenque trophaei
Vendicat et posset censeri voce triumphi.
Ex Tryphera magna stomachi ventosa querela
Solvitur atque dolor infestus ab interiori
Frigore conceptus, placidi si tempore somni
Mixta mero detur, fuerit quo cocta galanga,
Nardus et anthophilus et cum nuce macis odora.
Adiicies hederae lacrymam, si pelliculosis

---

770) *Nigra* Ls.; *nigrae* π. — 771) *Veno* π, Ls.; forsan *vena*; ex matrice vena forsan i. q. ex vena temporali, quia haec ad meninges s. matrices pertinet? — 773) *Sinotina* π, Ls.; lego *synochina*. *Jus ferit* Ls.; *iusserit* π. — 776) *Diagmargū* μ; *dragmarum* G. — 779) *Stagnata* Ls.; *stannata* π. — 783) *Trifera*, *triferon* semper pro tryph. habet Ls. et π; vide Gorraei defin. med. v. *τρυφερα*; Scribon. Larg. cap. 90. §. 230. p. 125 ed. Rhodii. — 796) *Casu golango* Ls.; *cocta golango* π; certe legendum: *cocta galanga*. — 797) Macis odora cum nuce muscata, cfr. l. 1. v. 305.

In stomachi latebris vis est conclusa doloris.
Confert rheumaticis mixto sibi pulvere thuris
Et somnum ex cholera nigra vigilantibus offert,
Cum post discussam phrenesim, iam febre soluta,
Exagitat cerebrum phantastica poena superstes
Pervigiles oculos insomni nocte fatigans,
Tryphera seminibus commixta papaveris albi
Et data cum tepida, qua cortex mandragoratus
Coctus erit, somnum reparat cerebrumque soporat. —
Expletis recta numeri ratione diebus
Quatuor et denis, cum iam ruptura tumoris
Emittit saniem cum myrrhae sumta Lyaeo
A peripleumonicis causas empimatis arcet. —
Praevia si fuerit purgatio congrua causae
Sumta lienteriam curat de phlegmate natam.
Ascarides potata necat cum rebus amaris
Abrotano, ruta, centaureaque minori.
Si matricalis herbae mandata liquori
Vel supponatur vel vino mixta bibatur,
Agrum naturae sterilem colit, et geniali
Ubertate replet, dum noxia quaeque rescindit,
Obsessas limo turpique bitumine cellas
Exarat et mundat et vectigalia solvit,
Semen ut iniectum matricis munda supellex
Promtius excipiens intra sua claustra monetet.
Bis renovet mulier per noctem suppositivum
Ex Tryphera factum, quando cacochymia villos
Lubricat et profugum dimittit sperma viarum
Lubricitas, grossae cum muscillaginis humor
Semen corrumpit, vitiumque putredinis infert,
Quando coarctatis concludit menstrua venis
Cella puerperii gelida densata rigore.

---

802) *Nefresim* π, Ls.; lego *phrenesim.* — 811) Empimatis i. q. empyematis. — 814) *Asca'ides* μ; *ascrarides* Ls. Contra Ascalides, Gloss. marg. cod. π. — 815) *Rupta centauraq;* π; *ruta centaurioque* Ls.; lego *centaureaque.* — 820) *Celsas* π, Ls.; lego *cellas*, cfr. v. 230. — 824) *Revocet* Ls.; *renovet* π. Suppositivum i. q. suppositorium, forsan pessus. — 827) *Muscillageris* π, Ls. — 829) *Coartatis* π; *coarctatis* Ls. — 830) *Gelida* π, Ls.; *gelido?*

Thebaici retinens opii consortia causis
Non valet in gelidis, sed cui devota miconis
Grataque temperies arridet convenit illis
Et minus austero contristat frigore membra.
Eius opus medicae doctor Platearius artis
Et componendi formam celebravit et usum. —
Si calor exurens sterilem distemperet alvum,
Ariditas si membranas corruget inanes,
Membrorum fomenta bibens si dura cicatrix
Et callosa cutis purgandi sanguinis arcet
Profluvium, Trypherae magnae non congruit usus,
Nec calidae huic causae species nec aromata prosunt. —
Tryphera magna duos postquam compleverit annos
Ante potens primi cadit a bonitate vigoris.

TRYPHERA SARACENICA.

Assignata prius Trypherae de nomine causa
Hic etiam primum poterit servare tenorem:
Sed quia paganis tenebroso nubila vultu
Concolor efficitur, ea Saracena vocatur;
Vel quod eam Saraceni statuere periti.
Cum rheubarbaricis data Saracenica dragmis
Et myrobalanis uno sibi pondere mixtis
Accensos curat triteros de felle rubenti,
Quos acuit similis complexio, concolor aetas,
Par locus et sexus et conformabile tempus.
Litis in ingressu data per triduum patienti
Expedit et Trypherae iuvat Oxyzaccara vires.
Haec eadem simili moderamine sumta furentem
Compescit maniam rubeo de felle creatam.

---

832) *Miconis* π, Ls.; *micoīs* μ; micon s. mecon, *μηκων*, i. q. papaver. — 833) *Illis* π; *ill'* μ. — 834) Iisdem causis, quibus micon, etiam Tryphera convenit, sed minus frigida est. — 835) De Plateario seniori, seu Joanne Plateario sermo est, non autem de Matthaeo Plateario, Nicolai commentatore. Nam hic inquit in ipso hoc commentario (Venet. 1562. fol. f. 393 a): „Meus pater Platearius ea utebatur cum opio miconis.“ — 842) *Prosunt* G.; *prost'* μ. — 846) *Haec* π, Ls.; *H'* μ; lego *hic*. — 850) *Sarracena*, *Sarraceni*, *Sarracenica* π, Ls. — 851) *Mirabolanis* π. — 855) *Littis* μ; *lutis* π; *lucis* Ls.; lego *litis*; cfr. Urin. v. 79. — 856) *Ozizaccura* π, Ls.

Sic scotosim reprimit et visus damna resarcit
Quem turbat calidi mala respiratio fumi.
Quo sene decoctum est cum vino sumta tepenti
Fuscatum reparat tetra caligine visum,
Quem calor ex cholera nigra resolutus obumbrat.
    Admixto epithymo si cum sene folliculoso
Hanc niger exacuat et vires suggerat indus,
Tetracium solvit, cui fundamenta ministrat
Fellea materies nimio combusta calore,
Ardoris transgressa modum, quae ius speciale
Alterat et transfert generis sibi iure retento,
Limine sub primo iam dedignata teneri.
    Sumta pari forma similique aptata tenore
Compescit maniam, quam felleus humor adustus
Fundat et aedificat ad prorae culmina raptus.
    Ictericos rheubarbarici sociata liquori
Curat et hepatici delet nocumenta caloris.
Sed causam medicae scrutator sedulus artis
Libret, an icterici faciat contagia morbi
Fel, vel hepar, vel splen, aut incensiva caloris
Vis dominans venis, si fel vel fellea bilis
Aestuat et modico lentescunt crura dolore,
Aut cholerae stagnat sua desiccatio motum,
Obstruit enphraxis aditus, vel apostasis illam
Comprimit aut felli se turbidus ingerit humor.
Ferviditas fellis hepar incandescere cogit,
Sanguineum super incendit tenuatque liquorem,
Tingit et in cholerae speciem convertit amarae,
Naturae quam membrorum condemnat et odit
Deliciosa fames tristi turbata sapore:
Hunc cutis ad partes proscribens exteriores

860) *Mala* π, *male* Ls. — 863) *Calor* π, *color* Ls. — 864) *Epicimosi* Ls.; lego *epithymo si*. — 865) Indus i. q. myrobalanus indus s. niger. — 868) *Quamvis* Ls.; *q'ms* μ; lego *quae ius*, scilicet fellea materies producit febrem quartanam notham, in qua genericus morbi character servatur quidem, specialis vero alteratur. — 873) Prora i. q. anterior pars capitis. — 874) *Hictericos* π, Ls. — 877) *Hicterici* π, Ls. — 880) *Lentesc'* μ; *lentescunt* G. — 881) *Stannat* π; *stagnat* Ls. — 883) *Felli te* μ; *fellis se* G.; *felli se* Ls.; cfr. v. 919.

Unde fit in membris crocei tinctura coloris. —
Deficiens in felle calor, cum celtica virtus
Degeneret, cholerae partem non attrahit ullam,
Cum specialis ei sit mansio capsula fellis,
Hanc hepar in propriis retinet servatque cavernis
Et venis mandans cum sanguine membra colorat. —
Ariditas fellis, cholerae discursibus obstans
Ipsius ad stomachum, vetat in declivia ventris
Descensum, fluxumque sui castigat et arcet
Partibus alterutrum firma compagine iunctis.
Compositi minuit divisio facta vigorem:
Totius viget integritas, et fortior exstat,
Quo minor in plures cholerae fit sectio partes;
Viribus in cumulum collectis acrius urit,
Plus hepar incendit et toto sanguine tincto
Exteriora cutis croceo deformat amictu. —
Clausa per enphraxim pororum clausula fellis
Vel per apostaseos subitum compressa tumorem,
Igniculum, cholerae sibi respiramine demto,
Fortius ardentem plus saevum ex obicis ictu
Limite secreto motu torrente citatum
Cogit ad implicitas stomachi transire cavernas,
Cum nimis excedens intra sua claustra teneri
Non valeat brevitate loci vagus et levis humor,
Mobilis et certae stationis iura resignans
Fellea materies hepatis regione recepta,
Sanguinis incedit fervoris acumine fontem
Inficit et membris reprobum facit, unde foveri
Membrorum esuries quamvis ieiuna veretur. —

---

890) *Sit* π, Ls.; lego *fit.* *Tracei* μ, π, Ls.; lego *crocei,* cfr. v. 905. — 891) *Celtica* μ, Ls.; forsan *helctica*, *ἑλκτικη δυναμις*, virtus attractiva, pro qua tamen etiam vox *virtus celtica* occurrit apud scriptores medii aevi, v. Matth. Silvatic. pandect. med. et (Adelung) glossar. manuale ad scriptores med. et inf. latin. v. Celticus. — 905) Si ob ariditatem bilis non diffunditur, sed tota in hepate remanet, potentior fit et hepar facilius inflammat. — 906) *Enfrasim* π, Ls.; lego *enphraxim.* — 909) *Semini obiicit ictu* Ls.; lego *saevum ex obicis ictu*, nam *exobic'* habet cod. μ, vel *saevum obice victo?* cfr. l. 3. v. 770. — 910) *Motu* π; *totu* Ls. — 914) *Sto'is* μ; *stationis* G. — 915) *Incedit* μ, π, Ls.; an *incendit* G. — 918) *Esuriens* π, Ls.; lego *esuries*, scilicet fel fontem sanguinis incedit et hunc amaritudine ita inficit, ut ab esurie membrorum spernatur; cfr. v. 887, 888.

Si felli se viscosus commisceat humor
Ingrossat choleram, ligat et conglutinat ipsam,
Et proprii motus sibi cursilitate negata,
Consueto vetat ad stomachum discurrere motu.
Ad sinus igitur hepatis cumulata redundat,
Unde suae causam geniturae materialem
Et formam craseos et primum traxerit ortum.
Sanguineae massae pars ignea, cum casa fellis
Non pateat, solam iecoris sibi vendicat arcem. —
Ex hepatis vitio si passio traxerit ortum,
Obstruit enphraxis, calor urit, congelat algor,
Tendit et amplificat membrum pressura tumoris,
Sclirosis indurat, vis expulsiva fatiscit,
Fece melancholici fermenti splene gravato
Caelica degenerat virtus, splenisque facultas
Deficiens non mundat hepar: fit sanguinis humor
Spissus et obscurus membris non aptus alendis.
Cum lingua data cervina Venerisque capillo
Prunis ac violis, melonibus atque citrullis
Purgat hepar, stomachum, splenem, diaphragma supremum,
Et loca sub costis ferventibus obsita chymis,
Temperat hepaticos ignes, reparatque colorem. —
Si componatur simplex et acuminis expers,
Uncia una dosis fiet, sed acumine mixto
Parcior atque minor et commoderata frequenti. —
Annus complet eam primus deletque secundus.

TRIA SANDALI.

Purpurat ictericos Tria Sandali cum cicoreae
Succo endiviae cum quatuor ablactatis
Seminibus phthisicos restaurat, cum dragaganton,

---

923) *Sinias* μ; *sinus* Ls. — 931) Sclirosis, sclerosis i. q. induratio vel etiam scirrhus. — 933) *Caelica* π, Ls.; an iterum legendum *celtica*, uti v. 891? — 939) *Subcoctis ferventibus* Ls.; *sucostis feuentibus* μ; lego *sub costis*; loca sub costis sunt hypochondria. — 941) *Acuminis expers* π; *acumine mixto* Ls.; acumen i. e. vis laxativa scammonii. — 942) Verba: *acuminis exp. unc. una dos. fiet sed* desunt apud Ls., habet ea π. *Nuncia vandonis* μ; lego *uncia una dosis.* — 945) *Scandali* π, Ls.; sic etiam in inscriptione, lego *sandali*, scilicet ligna. — 946) Emulsio ex seminibus cfr. l. 2. v. 132. — 947) *Tisicos* π, Ls.

Gummi, lactuca, malva, ptisanaque solutum:
Mixta simul cum penidiis, liquiritia succo
Ipsius apposito vires medicaminis auget.
Sic etiam confert ethicis, quos lenta profundis
Partibus inserta febris intabescere cogit.
Omnis debilitas vitio contracta caloris
Extirpata perit huius medicaminis usu. —
Ponit ei metam completi terminus anni.

THEODORICON.

Ut probat et dictat veterum sententia vatum,
Eruit omne malum cerebri de phlegmate natum,
Quos in se recipit cum pulveribus pilulatum,
Sero propinatum, Theodoricon intitulatum,
Munere divino valida virtute probatum.
Cum sene plasmatum solvit maniae cruciatum
Nare vaporata cum fumo cathariaci;
Dentibus ex cuneo reseratis si patientis
Inde frices linguam, gingivas atque palatum,
Ebria delirae subvertit pocula lethes,
Et rerum seriem memori sub clave sigillat.
Rheumaticis factas incursibus asperiores
Vocales musas plectro componit amoeno:
Aspera complanat et non aequata coaequat:
Radit et expurgat vitium vocemque reformat
Linguae suppositum, donec bene sit resolutum,
Penidiis, amylo mixtum gummi, dragaganto.
In causa sicca curatio talis iniqua:
Nam sibi comparium tanta est concordia rerum,
Pugnaque disparium, quod se conformia servant,
Dissona corrumpunt; graduum ratione retenta
In paribus numeris certis moderanda minutis

948) *Tisanaque* π, Ls. — 949) *Penidicis* Ls.; *penidiis* π. — 958) *In se* Ls.; *uise* μ. Sensus est: Theodoricon cum iisdem pulveribus in pilulas formetur, quos in se iam recipit, aucta eorum quantitate. — 962) *Catariaci* π, Ls.; cfr. v. 346. Platearius (expos. in Nicol. f. 393 a) habet: „Lithargicis suffumigetur prius cornu cervino vel caprino etc.“ — 965) Memoriae lapsae subvenit. — 967) Contra raucedinem vocis ex incursu rheumatis. Gloss. marg. cod. π. — 972) *Anulo* π, Ls.; lego *amylo*.

Debet ab oppositis fieri curatio causis.
Si locus aut humor grossus, vel forte rebellis
Membri durities numeros transscendere cogit,
Sit brevis excessus, quoniam moderamine gaudens
Causarum subitos motus natura recusat.
Nulla in praecipiti curatio facta salubris!
Nam dum dyscrasiae removet nocumenta prioris
Inserit oppositum subito, propriamque relegat
Corporis eucrasiam, quam fundavere parentes,
Quae fuit a primis genialibus insita causis.
Quae pede procedit tacito, mutatque latenter
Furaturque malum, non eruit, at violenter
Extrahit et numeris cogit descendere certis,
Donec clausa suis naturae regula metis,
Ad proprium revocata modum, se lege priori
Temperet et solitos dispenset corporis actus,
Consonat humanae talis curatio vitae,
Naturae confirmat opus laudemque meretur.
Cum vino bibitum vel linguae subpilulatum
Pulveribus sibi commixtis aleotidis herbae,
Phlegmaticas dirimit causas pulmonis anheli
Et gravia asthmatici cantus suspiria tollit.
Cum nuce muscata bibitum vel pulvere macis
Crudoris vitio levat ex stomacho sitientes.
Sic stomachi natos de frigiditate dolores
Mitigat, et ventos fugat intra viscera clausos. —
In saniem versus cum se purgaverit humor,
Ne trahat empici pulmo contagia morbi,
Praestat opem peripleumonicis ptisana resolutum
Admixtis amylo, caricis, gummi, dragaganto
Atque liquiritiae succo cum semine malvae.
Ex grossis et viscosis humoribus ortam
Hydropisim fugat et nephresim splenisque tumorem
Decoctum cum leptomeris speciebus et herbis,

978) Quod omnis curatio facienda sit per proportionale contrarium. Gloss. marg. cod. π. — 980) *Trascendere* π; *transscendere* Ls. — 987) *Genialibus*, *genitalibus* G; *g'nialib9* μ; *genialibus* Ls. — 1000) *Mascis* μ; *macis* G. — 1006) *Tisana* π, Ls. — 1011) *Lectomeris* μ, π, Ls.; lego *leptomeris*.

Saxifraga, milio solis, selino, petrosillo,
Feniculo, sparago, tamarisci cortice, brusco. —
Iniectum colicis summa virtute medetur
Cum melle et violis, oleo, sale, sulphure, malvis. —
Motus arteticae domat insultumque podagrae
Cum succo rutae bibitum lapsaeque suffitum
Ex squilla et raphano prius oxymelle recepto.
Hoc quoque prae cunctis specialius est medicinis,
Ut levet et redimat muliebris probra monetae:
Ostia naturae reserat, vim concipiendi
Jam dudum oppressam relevat, semenque monetat,
Menstrua mundificat bibitum vel pessarizatum
Cum matricalis herbae succo resolutum.
Hoc quoque malvarum sibi muscillagine mixta
Spargit et emollit clausos matrice tumores.

THEODORICON ANACARDINUM.

Quos movet in gyrum rapide vertiginis error,
Dum male visibilem circumvehit et rotat auram
Terrea materies ventoso mixta vapori,
Hos anacardinum relevat sibi pulvere mixto
Quercinae filicis ac indi myrobalani
Epithymi, sene, squinanthi, sicut variandum
Dissona materies vel morbi regula poscit:
Semper ab adiunctis debent adiuncta probari.
Obscurae scotosis tenebrosa velamina delet,
Et quae praevolitant aciem falluntque videntem,
Nigra melancholici dirimit phantasmata fumi,
Ante tamen chebulis conditis saepe receptis.
Occiduae capitis superaptatum regioni,

1017) *Sucisime* μ, π, Ls.; lego *succis ivae* vel *succo rutae*. *Lapeque supinum* μ, π, Ls.; haesitans lego: *lapsaeque suffitum* i. e. lapsae s. dolenti parti tanquam suffimentum applicatum. — 1018) *Exquilla* π, Ls. — 1027) *Herror* π; *h'ror* μ; *crror* Ls. — 1031) *Q'cine* μ; *quae cine* Ls.; lego *quercinae*. *Mirabolani* π, Ls. — 1035) *Volumina* π, Ls.; an recte legam *velamina?* Glossa marg. cod. π: Contra caliginem oculorum et muscas praevolitantes. — 1038) *Quabulis* π, Ls.; *q'bulis* μ; lego *kebulis* seu *chebulis* scilicet myrobalanis. — 1039) Contra lethargiam. Gloss. marg. cod. π.

Crinibus abrasis, sibi commixtis anacardis,
Flumine letheo super excrescente, solutas
Componit rationis opes, passimque natantes
Et profugas inhibet firma ratione figuras:
Sparsa ligat, reserata serat, diffusa coërcet;
Sed ventosa cutem praemordeat, et cute caesa
Noxius erumpat modico stillamine sanguis. —
Rheumaticum siccat cerebrum purgatque repletum;
Somniferos capitis natos in puppe dolores
Discutit in pilulis sumtum, prope tempora somni.
Si quercina filix et agaricus adiiciantur,
Vim sibi maiorem purgandi phlegmatis augent. —
Si tepido cum musceleo fuerit resolutum,
Auribus infusum ventos strepitusque sonoros
Discutit, et capiti tranquilla silentia ponit.
Ventris debilitas defectu nata caloris,
Hoc se restituit medicamine, vimque resumit
Masticis apposito cum muscata nuce vino.
Cum vitae iubar obtenebrat cordisque lucernam
Turbidus obscuro fumus de felle vaporans,
Debita legitimi prohibens libramina motus,
Cum thesis exuberans arsim suprema reducens
Ad medium centrum complectitur orbe relicto:
Obtinet hoc casu summum haec medicina vigorem
Si sene quo coctum est, vino resoluta bibatur.
Namque melancholicae pulsa caligine nubis
Vitalem fugat eclipsim, faciemque serenat
Cordis adumbratam, dum motibus elevat ipsum
Et premit alternis aequo moderamine factis.
Ventosos et de gelidis humoribus ortos
Solvit et extenuat splenis stomachique tumores,
Cum vino bibitum, quo sint decocta ciminum,
Feniculum, mastix, anisumque et semen anethi. —
Quem creat enphraxis hepatis, quem fellea cystis
Clausa movet prohibens sua respiracula felli,

1044) *Diffisa* Ls.; *diffusa* π. — 1045) Ventosa i. q. cucurbitula. — 1048) Puppis (capitis) i. q. occiput. — 1061) Thesis et arsis i. q. systole et diastole cordis; cfr. Puls. v. 27.

Ictericum fugat euforbi cum pulvere morbum. —
Expugnat nephresim, quam firmat frigidus humor,
Quam lapis ex multis fundat massatus arenis:
Dant sibi maiorem diuretica mixta vigorem. —
Quae ventri bellum faciunt et viscera turbant
Tranquillat bibitum colici tormenta doloris:
Plus valet iniectum cum succo mercurialis
Melle, salis modico mixtis oleique liquore.
  Tabula si Veneris pinguedine lubrica, chymis
Obsita phlegmaticis, conceptus iure negato
Lubricet a propriis genialia semina cellis:
Si repleat maturati retinacula foetus,
Intempestivum faciens gravis humor abortum:
Hoc bibitum vel suppositum cum pulvere mixtum
Tartareo, sterilem foecundat et excolit agrum,
Agricolae tribuens optati gaudia fructus. —
Cum succo rubeae bibitum vel pessarizatum
Aut arthemesiae spisso stagnata liquore
Clausa suis latebris erumpere menstrua cogit. —
Hoc sibi commixto caprifici cortice, vivis
Apposito prunis mulier paritura vaporet
Occiduas partes, talaribus obsita pannis:
Partum difficilem relevat, minuitque dolorem. —
Quos exorta phthisis crudae discrimine pexis
Atterit atque molit, istud fovet atque resumit. —
Haec duo, quae titulo Theodoricon intitulantur,
Effectus plenos per menses bis duodenos
Nescia iacturae retinent, salvo sibi iure.

VOMITUS PATRIARCHAE.

Corporis occidua nec non regione suprema
Phlegma trahit primo, choleram Patriarcha secundo. —
Quos tritei fervor cruciat, cum felleus humor

1075) *Hictericum* π, Ls.; cfr. v. 874. — 1083) *Fabula* π; *tabula* Ls. Ad mundificandum matricem et iuvandum conceptionem. Gloss. marg. cod. π. — 1091) *Rubeae* π, Ls.; an legendum *rutae?* — 1092) *Stannata* π; *stagnata* Ls. — 1095) *Valitura* Ls.; *paritura* μ. — 1096) Talares panni i. e. usque ad talos demissi. — 1098) *Thisis* π, Ls. — 1100) *Theodoriton* π, Ls. — 1105) *Tricei* μ; *triteri* Ls.

Promtus ad egressum stomachi natat ore supremo;
Quos onerosa premit cacochymia, nausea vexat,
Quos mala virtutis membrorum conciliatrix
Vis anorexiae sensim tabescere cogit,
Hos iuvat et relevat et cardine purgat utroque
Noxia depurans stomachi Vomitus Patriarchae.
Mane propinetur, cum rarescentibus auris
Praeteritae noctis desudat et attenuatur
Aëris incoctus radiis solaribus humor,
Cum sol ante rubens pueriles exuit annos
Nulla verecundi retinens insignia vultus,
Sed mundi faciem risus splendore serenat;
Tunc calor ascendit, stimulo cogente caloris
Tunc fervet calidus purgari congruus humor. —
Digestiva prius aegro data cruda resolvunt,
Ad vomitum resoluta parant, dum dura relaxant;
Hydroleo coctis foveantur pectora malvis,
Deque Dialthaea quae sit commixta butyro,
Ut vomitus levior succedat, inunctio fiat.
Branca, foenugraecum cum lino, malva coquatur
Decoctis adipem porci contusio veemens
Misceat, ut mixtae coëant per singula partes:
Haec mixtura levem frixurae passa calorem
Thoracem amplificat, cataplasmatis addita more,
Et facit ut vomitus fiat levis absque labore. —
Cum calida detur: nam frigida mixta gravando
Comprimit et vomitus trahit ad declivia motum.
Colatura datur tenuis, substantia duris. —
Forsitan explores, cur observantia maior
Obtinet in vomitis? Quoniam purgatio talis
Plus habet adnexum discriminis atque laboris.
In vomitis duo sunt motus: declivis et altus,

1107) *Tacochimea* μ; *cacochimia* G. *Naxea* μ; *nausea* G.; cfr. v. 69. — 1119) Hunc versum omittit Ls., habet eum π. — 1122) *Hydroleo* π, Ls.; *hydreolo* G. — 1126) *Veemens* μ, π, Ls.; contracte pro *vehemens*. — 1127) *Coeat* π; *coeant* G. — 1133) Colatura i. q. decoctum. *Tenuis* pro *tenuibus* i. e. teneris et delicatis. — 1136) *Ad nexim* μ; *adnexum* G. — 1137) *In vomitus vero sunt* π, Ls.; lego *in vomitis duo sunt*, nam siglum, quod G. legit *vero*, est *u* vel *ii* cum suprascripto *o*.

Oppositi longe adversi nimiumque rebelles.
Humor enim propria trahitur gravitate deorsum,
De centro sursum rapitur per vim medicinae:
Motibus adversis sibi colluctantibus instat
Plurima naturae turbatio, non bene cautis
Saepius horrendae miscens discrimina mortis.
Unde fides artis, Hipocratica sanctio, vitae
Eulogium, methodus naturae, regula veri
A vomitis phthisicos arcere iubet medicinis,
Quosque melancholicus et plumbeus afficit humor,
Hos quibus angustis pulmonem amplexibus arctat
Stricta sequens spinae gratis spondylia thorax,
Quos nimis elimat macies, quibus emolit artus
Synthesis, asthmaticis, quos importuna querelis
Passio pulmonis et tussibus urget anhelis;
Hos ita dispositos ratio discreta medendi
Abstinet a vomitu, ne dissonus atque repugnans
Ictibus oppositis pulsans praecordia motus,
Rumpat vitales laeso diaphragmate venas.
Quodsi causa vigens et nescia lege teneri
Talia per vomitum purgari corpora cogit,
Quae prius edocti tradit moderaminis ordo:
Cautior et longe vigilantior est adhibenda
Sedulitas plus artis habens, quae temperat omnem
Et minuat redimatque sua levitate laborem. —
Integra si detur Vomitus substantia, librae
Pars duodena dosim, si colamenta propines
Sexta facit. Geminos durat Patriarcha per annos.

UNGUENTUM CITRINUM.

Frigore brumalis aurae cutis aspera lenis
Redditur Unguento citri de cortice facto,
Si maculis respersa nigris, si lenticulosis
Sit facies inscripta notis, quas menstruus humor
Fecerit aut aestus solis, vel sanguis adustus:

1142) *Pl'ia μ; plurima* G. — 1146) *Vomitu π,* Ls.; lego *vomitis* vel *vomitus.* — 1148) *Angustis π; augustis* Ls. — 1151) Synthesis i. q. atrophia. — 1159) *Quam prius edocti trade π,* Ls.; lego *quae pr. ed. tradit.*

Unguentum hoc valet appositum, quod saepe fricatum,
Combibat ut totum pars deformata liquorem:
Diluit, extergit, mundat, depurgat, adornat,
Candidat, illustrat et quaeque impura venustat.
Postulat interdum pars ex sapone lavari
Cum tepida aut ovi lacrymo pulpave citrangli,
Quae melius cunctis sordes extergere novit,
Perque vices alias unguenti vendicat usum.
Purgat et emundat leprosi tubera vultus
Atque vagos morsus scabrae serpiginis arcet.
Ex ovi lacrymo vel cum Rhodostomate mixtum
Sanguineum fugat ex oculis pellitque ruborem.
Lipposi removet viscosa bitumina fluxus. —
Huius stare nequit virtus cum transiit annus.

UNGUENTUM AUREUM.

Quod trahit ex auro nomen, quia praevalet auro,
Unguentum, renes lapidosos curat inunctum.
Solvit dura, vias reserat, resolutaque purgat
Saepius appositum, vicibus crebris renovatum,
Omnia de gelidis mala discutit insita causis. —
Militat in morbis et regnat quatuor annis.

UNGUENTUM POPULEON.

Unctio Populeon pulsantibus illita venis,
Fronte ac temporibus et naribus inde perunctis,
Temperat ac reprimit peracutae caumata febris,
Et cholerae raptum vetat ad suprema volantis:
Praeservat caput a phrenesi, blandique soporis
Rore fovens oculos animae phantasmata delet.
Fortius hunc implet longeque potentius actum
Commixtum roseo socialiter Oxyrhodino,
Cui si miscueris opium cum lacte solutum
Foemineo, multo vigilandi afflicta labore
Lumina tranquillo cogit succumbere somno.

1176) *Citrangli π; citrulli* Ls. — 1185) *Quo π;* lego *quia.* — 1194) *Raptum* G.; *raptim* Ls.; *rapt' μ.* — 1198) *Roseo* scil. oleo. *Oxirodiro π,* Ls.; lego *Oxyrhodino,* quod esse posset acetum rosatum.

Si critici motus instent, si forte remissus
Sit calor et modico lentescat acumine febris:
Si patiens aetate senex, si corpore pinguis,
Aut si phlegmaticae craseos, si frigidus humor
Disponat cerebrum, quod particularia monstrant,
Unguentum hoc nocet apposítum, viresque caloris
Impedit et turbat critici compendia motus,
Exterius prohibens morbi prorumpere causam.
Hepaticos lateri fervores curat inunctum.
Sunt quoque, qui tradunt, et qui fallacibus ipsum
Laudibus extollunt, quod ab ipso ventre peruncto
Cogitur a membris criticus decurrere sudor.
Sed contra fieri probat experientia rerum,
Et reprobum fore convincit dignumque refelli,
Posset adhuc quamvis sudor plerumque moveri.
Spectat ad artificem varios distinguere casus.
    Expedit unguenti medicum variare colorem:
Res eadem data multotiens sub compare forma
Respuitur, tenuis sumtus abiecta ridetur,
Contrahit in rugam nares tollitque favorem,
Et facit ut iaceat fundo marcente crumena.
Allicit et recreat novitas gratissima rerum:
Discolor unguenti species variata frequenter
In cura aegroti probat artificem studiosum,
Atque manum medici dono praegnante decorat.
Providet hoc aliud variatio facta coloris,
Nam quae vilescunt, quia sunt communia multis
Trita foris, passim manibus tractata profanis
Fiunt grata novi signata charactere vultus,
Et pretio maiore nitent, laudemque merentur:
Sandalus et rubea, crocus, et rosa, camphora possunt
Unguenti speciem variis signare figuris. —
Huius praeterito virtus compar stetit anno.

1218) Quod utile sit et artificiosum eius colorem variare. Gloss. marg. cod. π. — 1219) *Subcrepere* π, Ls.; lego *sub compare.* — 1234) *Compresserit* π, Ls.; *comp'st'it* μ; lego *compar stetit*, scilicet cum anno praeterito etiam praeteriit virtus huius unguenti.

UNGUENTUM MARCIATON.

Marciaton gelidae dirimit tormenta podagrae:
Arteticam, sciadem, splenem ventrisque tumorem
Et matricales concordi pace querelas
Temperat, ad solem membro patientis inunctum
Aut ignem, si nulla subest praesentia solis.
Omnibus his unus medicandi congruus usus.
Membra, quibus contusa dolent, quia caesa flagellis,
Et quia sunt casu forsan collisa, vel ictu
Marciaton ea confirmat nervisque vigorem
Conciliat, nervos laxat, spargitque tumorem.
Cui si cum calida mixta est tritura cimini
In cute si noris maculas, extergere novit. —
Omne malum, quod vis infert ventosa vel algor
Aut humor gelidus, unguenti discutit usus. —
Se tribus hoc annis regit in bonitate vigoris.

UNGUENTUM DIALTHAEA.

Pectora phlegmaticis oppressa vel obsita chymis
Causaque rheumaticis incursibus aspera, rauco
Obice praeclusos ex se promentia flatus,
Blanda Dialthaeae fovet unctio, dura remollit,
Clausa aperit, constricta relaxat et aspera lenit.
Dampnileo sibi commixto: quod dupla sit eius
Portio, dampnilei sit tertia: contrahit inde
Vim calefactivam, dissolvendique vigorem.
Subsidium fert pleuretico commixta butyro,
Aut resoluta oleo lini de semine facto,
Vel quod de violis medicinae conficit usus.
Mixturam variare docet complexio, tempus,
Aetas, forma, locus et morbi dissonus humor.
Quam dolor excruciat, quam pungit fervor acutus,
Saepius ex illa pars morbida debet inungi,
Cui superaptentur succosae vellera lanae.

1236) Sciadem i. q. malum ischiadicum. *Splenem* π, Ls.; forsan *splenis.* — 1245) *Causa* π, Ls.; *cā* μ; lego *calida* scil. aqua. *Tinctura* Ls.; *tritura* π. — 1249) *Sed* Ls.; *se* π. — 1255) *Dampnileo* μ; *damnileo* π, Ls.; i. q. daphnelaeo i. e. oleo laurino. — 1256) *Dampnilei* π; *tampnilei* Ls.

Si computruerit ea multis ante diebus
Cum succo malvae vel tritae frondibus herbae:
Inde malaxetur splenis tumor: exuet omnem
Duritiae veteris splenis tensura vigorem.
Sed magis extenuat et ad intima vim penetrandi
Fortius acquirit cyclamide frixa cavato,
Paucis gummi hederae granis pariter resolutis.
Ventre cibis pleno ne fiat inunctio splenis,
Observare iubet ratio discreta medendi.
Nam nimius manuum motus, vehemensque fricandi
Impetus excuteret crudam de ventre ciborum
Congeriem, vel sanguineae pars plurima fecis,
Motibus assiduis concusso splene redundans,
Curreret ad stomachum ramo deducta supremo
Debilitans digestivum minuensque calorem:
Vel stomachi calor intensus pro conficiendis
Interius sumtis et ad intima membra retrusus,
Acrior effectus manuum pulsamine tanto,
Nativi posset transscendere iura tenoris.
Excita continuo motu conserta calorem
Corpora suscipiunt, quae sunt subtilia, frigent,
Si quibus est aditus facilis liberque meatus;
Motu rara calent, quando praeclusa tenentur. —
Est haec post annum semper renovanda secundum.

UNGUENTUM ARROGON.

Arrogon artetici solvit discrimina morbi
Cui gelidus vires et robur suggerit humor:
Confirmat tremulos stabili moderamine nervos:
Mollitos solidat, infusos phlegmate siccat:
Sensificat stupidos, ad motum firmat inertes,
Roborat invalidos, sed morbi accommoda causae
Potio praeveniat digno celebrata tenore.

1266) *Si cum putuerit* π; *si comparuerit* Ls.; *si computruerit* G. — 1267) *Frontibus* μ, π, Ls.; *frondibus* G. — 1280) *Digressivum* π, Ls.; lego *digestivum.* — 1281) *Intensus* μ; *intentus* mavult G., quem secutus est Ls. — 1289) *Hoc* π, Ls.; lego *haec* scil. Dialthaea. — 1290) *Arrogon* π; *arragon* Ls.; sic etiam in inscriptione. — 1291) *Humor* G.; *h'uor* μ.

Hoc splenem extenuat durum, nimiumque tumorem
Intra praescriptos fines descendere cogit.
Haec tamen unguenti sint praevia, daucus, anethum,
Fu, carvi, sinonum, caparis, tamariscus, amomum,
Et quae leptomera virtute vigentia clausas
Sufficiunt aperire vias, reserantque meatus. —
Subvenit hoc colicam patientibus atque tenasmon,
Renibus et membris spinalibus inde perunctis. —
Vis sua degenerat, cum primus praeterit annus.

UNGUENTUM AGRIPPA.

Quos tumor excruciat, quos indignatio vexat,
Quos dolor affligit, quos humida causa remollit,
Conciliat proprium nervis Agrippa vigorem:
Diluit algores febrium typicosque tremores.
Virga, peritoneum, pecten partesque propinquae
Ex hoc si fuerint unguento saepius unctae,
Obice stranguriae clausus nimiumque repressus
Proclivis nacta sibi libertate meatus,
Solvitur urinae laxatis cursus habenis.
Sed salsis foveantur aquis prius atque laventur,
Cocta quibus fuerint senecio, mercurialis
Et portulaca foliis et stipite pinguis,
Malva vel eviscus, oleum, molaria, sulphur.
Praevalet hoc splenis nimios aequare tumores,
Si quae leptomera virtute vigere probantur,
Atque Dialthaeae praecesserit unctio lenis.

UNGUENTUM FUSCUM.

Fuscum mundificat, purgat, convexa coaequat
Et carnem recreat, unit distantia, sanat.

1299) *Dancus π; daucus* Ls. — 1300) *Fucaria sinonum* Ls.; *fucariu si nonum π;* lego *fu, carvi, sinonum.* — 1308) *Agripa π,* Ls.; sic etiam in inscriptione. — 1312) *Tranguriae μ; stranguriae* G. — 1313) *Nata* Ls.; *nacta π.* — 1316) *Senectio μ; senecio* Ls. — 1322) *Tuscum μ, π,* Ls.; lego *fuscum*, nam Glossa marg. cod. π habet: Ad purganda vulnera et consolidandum unguentum fuscum. Deest inscriptio in cod. π et apud Ls.

UNGUENTUM ALBUM.

Omnis ab unguento scabies detergitur albo,
Quam generat salsus infecti phlegmatis humor.

YERALOGODION.

Mens erit Yeralogodion coeli microcosmi;
Templum animae, cerebrum, dominae sacraria mentis
Liberat a pravis humoribus atque nocivis,
Quod quia sermonis vim suscitat et rationis,
Dat logos hoc nomen, nota vocis ut exprimat omen.
Hoc prima invenit coluitque Aegyptia Memphis,
Debilis ut linguae posset fulcire ruinam.
Phlegma trahit choleramque nigram, virtute potenti
Expugnat veteres cerebri chronicosque dolores,
Quos mora, quos longi confirmat temporis usus.
Nube melancholica cum clara dies rationis
Occidit, ut rerum fines moderamine certo
Metiri nequeat animae delira potestas:
Cum cerebri proram maniae sibi vendicat error:
Cum brutescit homo, cum nubilus et niger humor
Tristitiae fomes et suspicionis alumnus
Divinae sacram contristat Palladis arcem:
Cum rapit in gyrum animae phantastica visum:
Cum male meningas cerebri distendit et inflat,
Motivos et sensibiles quae destruit actus
Túrbida materies, sacri nutricula morbi;
Quae si pauca licet forti tamen acta calore,
Acriter ebullit ventosae motibus aurae
Conceptis; abit in spumas, quibus ore solutis
Solvitur, et causa morbi cessante quiescit.
Discreta ratione datum cauteque receptum

1326) *Yeralogodion* π, Ls.; retineo hanc depravatam medicamenti denominationem, quia ad mentem Aegidii esse videtur, quod ex loco alphabeti et ex versu 1330 luculenter patet; rectius dicitur *Hiera Logadii* a Logadio ignoto quodam medico; cfr. Gorraei defin. med. Paris. 1564, f., fol. 144; Nicol. Myreps. ed. Fuchs, pag. 365. — 1330) *Hoc* π, Ls.; forsan *huic? Omne* Ls.; *ōm* μ; lego *omen*, quod etiam codex π prius habuisse videtur. — 1331) *Haec* π; *hae* Ls.; lego *hoc.* — 1339) *Error* π, Ls.; *h'ror* μ. — 1343) Contra scotosim et epilepsiam. — 1344) *Miringas* μ, π, Ls.; lego *meningas.*

Sufficit hos Yeralogodion subvertere morbos.
Firmat membra vago paralysis mota tremore,
Ac eadem vegetat, stupido praemortua sensu.
Obtinet in causis nervorum vim potiorem
Lilifagi vel castorei sibi pulvere mixto,
Naribus iniectum succo brasicae resolutum,
Pollicis obsequio vel ad os linguamque fricatum,
Allevat oppressum cerebrum, purgatque repletum.
Hoc sibi mordentes linguam saevisque frementes
Dentibus, extorres mentis, cruciatibus actos
Daemonii, quos ira Dei, quos vexat Erynnis
Temperat et tanti solvit nocumenta furoris.
    Ore datum vel suppositum vel pessarizatum,
Frigore concreto, pingui stagnata liquore,
Cogit de propriis erumpere menstrua cellis. —
Eruit artetici funesta pericula morbi,
Mixto vel gemmae sibi pulvere turbith et ivae. —
Cui si pulvis erit commixtus aristolochiae
Diptamni et rutae nec non aleotidis herbae,
Potibus occurrens suspectis atque nocivis
Fungitur officio Tiriacae deficientis,
Unde venenosis fertur succurrere morbis.
Morphea, pruritus, scabies, serpigo malignis
Membra notans maculis, suspecta infectio carnis,
Leprae fida soror, de salsis edita chymis,
Saepius experta vires medicaminis huius
Funditus eruitur, succumbit et adnihilatur.
Primitias leprae, dum sunt nova semina morbi,
Tollit et a morbo praeservat membra futuro.
Vultibus appositum leprosis tubera delet
Et maculas abigit mixto sibi pulvere thuris,
Lapatii succo, cerussa, cyclamine, vitro. —

1353) *Firmat membra vago paralisis membra tremore* μ, π, Ls.; an recte legam *mota tremore?* — 1358) *Pollicit* π, Ls.; legendum est *pollicis.* — 1360) Contra Daemoniacos linguam mordentes. Gloss. margin. cod. π. — 1362) *Herinis* μ; *Erynnis* G. — 1365) *Stannata* μ; *stagnata* G. — 1368) *Turbat* π, Ls.; lego *turbith.* — 1369) *Qui* π, Ls.; lego *cui.* *Aristologiae* π, Ls. — 1370) *Aleotidis* π; *aotleidis* Ls. — 1383) *Lapacii s. cerusa c. vitro* π, Ls.; annon legendum sit *nitro?*

Huius apud veteres triplicis sub pondere dragmae
Est celebrata dosis, sed cum modo copia maior
Assit ei mellis, debet pondus duplicari.

YERA PICRA GALENI.

Quod male disponit viscosus et algidus humor
Purgando capiti Yera picra valet Galieni:
Offensas cerebri, privato sive remoto
Conceptas vitio, gelidis humoribus ortas
Fortius haec aliis abolere potest medicinis. —
Quae si condito detur cum myrobalano
Obscuri visus tenebras rarescere cogit,
Et iuvat auditum, cum tinnula sibilat auris.
Auris apostaseos saniem stillata per aurem
Purgat, muscelei tepidi commixta liquori. —
Quatuor appositis aloës puri sibi dragmis
Hac fieri perfecta potest purgatio ventris.
Sic quoque splenetico fertur prodesse tumori. —
Cui si miscueris diuretica, partibus imis
Pinguibus oppressis humoribus atque nocivis,
Vesicae ac lumbis adimit nocumenta doloris. —
Matrici cum musceleo subiecta querelas
Amputat algoris, eiusque repagula solvit. —
  De Yera praedicti medicaminis aequat et unit
Viribus et formae similem sibi vendicat usum:
Plus tamen haec ducit, meliusque superflua tollit,
Ad visum quamvis minus utilis esse probetur,
Cui datur ex aloë duplicato fortior actus.

YERA CONSTANTINI.

Materiam cholerae duplici cum phlegmate purgat
Quae Constantini titulo Yera picra vocatur:
Visus defectum reparat, sed deficiendi
Provida discutiat medici prudentia causam,

1386) *Assit et* Ls.; *assit ei π.* — 1388) *Yera pigra π*, Ls.; sic etiam in inscriptione. — 1391) *Adolere μ; abolere* G. — 1392) *Mirabolano π*, Ls. — 1398) *Ac fcī μ; hac fieri* G. — 1405) Menda latet in hoc et sequenti versu. — 1411) *Yera pigra π*, Ls. — 1413) *Providi* Ls.; *provida π.*

Ut speciem curae variet discretio causae:
Deficit enphraxi visus, fumo, cataractis,
Pannis et maculis, vel ob hoc, quod debita non sit
Dignaque spirituum reparatio, nec moderatur
Actio virtutis fido spoliata ministro.
Visibilem fugat ex oculis arcetque lucernam
Intus clausa manens optici semita nervi,
Quod notat ipsius oculi substantia pura,
Clara superficies, nec habens caliginis umbram.
Hoc quoque veridicus verusque character habetur
Illatae enphraxis, quod non diffusior exstat
Pupilla unius oculi, dum clauditur alter,
Sed modulis primi tenet illibata tenoris.
Astruit enphraxim res tertia, cum manifestae
Nulla sit ablati visus distinctio causae:
Parte sub occidua capitis pressura doloris
Ante superveniens enphraxis signa fatetur;
Monstrat enim ratio, qui collum oppresserat ante
Humorem liquidum fluxisse ad concava nervi.
Obtenebrat visum grossi nubecula fumi,
Quam fortasse crasis cerebri vitiosa creavit
Aut anathymiasis; consurgere causa vocatur
Ex vitio cerebri, quando est defectio iuris,
Nullaque suscipiens varii discrimina motus;
Si varius fuerit defectus et induciosus
Se probat ex vitio stomachi traxisse vigorem.
Per summas cranii venas vel subteriores
Rheumaticus tunicis oculorum infunditur humor,
Saepius occultis oculos claudens cataractis,
Aut alium generans factum de rheumate morbum
Per tumidas frontis et circa tempora venas
Noscitur ex venis discursio facta supremis;

1415) Causae visus deficientis sunt: enphraxis (v. 1419 sq.), fumus (v. 1433 sq.), cataractae (v. 1440 sq.), panni et maculae (v. 1449 sq.) et a variis causis oriundus defectus spirituum (v. 1453 sq.). — 1420) *Optici* Ls.; *obtici* μ, cfr. v. 168. — 1422) *Clara* π; *cara* Ls. — 1423) *Hoc* π; *haec* Ls. — 1428) *Causae* π; *cauae* Ls. — 1431) *Quae* π, Ls.; lego *qui*. — 1440) *Subteriores* π; *subtiliores* Ls.; *subt'iores* μ, cfr. v. 1446; subterior i. q. inferior apud auctores medii aevi.

Si cranii parte fit fluxus ab inferiori,
Crebra caput sternuta movent, nec tensio venas
Frontis sollicitat, nec tempora rheumate turgent.
Pannos et maculas et probra forinseca visus
Publica vulgaris probat experientia sensus;
Non certa rationis egent indagine, quorum
Est index celebrata fides, censuraque vulgi.
Cura, cibus tenuis, fluxus, pressura laboris,
Excedens coitus, senium, vigilatio, morbus,
Cuncta quibus solet humanum tabescere corpus,
Destituunt visum, quia spiritibus reparandis
Congruus his causis fluit et deperditur humor,
Deficit humoris substantia spiritualis,
Visibilis radius declinat et adnihilatur. —
Haec Yera praesenti titulo signata recentem
Dissipat euphraxim, maculas, pannos, cataractas,
Dum novus est fluxus, dum non compagine firma
Rheumaticus tunicis et nervis insidet humor;
Per vires propriis ad purgandumque paratis
Utere collyriis, vires quibus ista ministrant:
Tucia, sarcolla, lycium, chelidonia, ruta,
Camphora, myrrha, merum, thus, spica, crocus, sagapinum,
Lac muliebre, liquor roseus, sanguisque columbae,
Gallitricum, marathrum, rosa, chalcitidos, haematites,
Pompholygos, spodium, myrthus, sal armoniacum,
Cadmia, simithium, chalcanthum, sepia, vitrum,
Chalcucecaumenon, plumbum prius igne crematum,
Sal, limax rubeus, cochleae, minor ippia, bolus,
Myrobalanorum nuclei, stercus crocodili,
Fel hominis, mussa verbeno sumae acacia

1446) *Sit* π, Ls.; lego *fit.* — 1452) *Judex celerata* π, Ls.; lego *index celebrata.* — 1465) Collyriorum magnam collectionem vide apud Nicol. Myreps. ed. Fuchs. p. 377 sq. — 1466) *Licium* π, Ls. *Celidania* π, Ls.; lego *chelidonia.* — 1469) *Calciteros* π, Ls.; *calcit'os* μ; lego *chalcitidos.* — 1470) *Panphiligos* π, Ls. — 1471) *Simicium, calantum* π; *simicuim calantum* Ls.; lego *simithium, chalcanthum.* *Nitrum* π; *vitrum* Ls. — 1472) *Calcuee cumenō* π; *calcuei cumenio* Ls.; lego *chalcucecaumenon* (*χαλκὸν κεκαυμένον*) i. e. aes ustum. — 1473) *Sallimaca rubeus codee miroripia* Ls.; *sallimaca rub'us codee minoripia* π; lego *sal, limax rubeus, cochleae, minor ippia.* — 1474) *Mirabolanorum* π, Ls. *Cocodrilli* π, Ls. — 1475) Sic Ls., *u'bena sumac* π.

Centaurea minor, sicidosos, mirabolani,
Balsama, verbenae succus, rubeumque papaver.
Quorum saevitiam reprimunt opium, dragagantum,
Gummi, lac, amylum, liquor ovi, gutta rosarum.
Praecipit ars calidis misceri frigida, siccis
Humida, cum blandis et mollibus aspera, duris
Atque metalleis suadet viscosa iugari:
Temperiem mixtura facit: quae iuncta salutem
Conciliant, divisa nocent; medicaminis usum
Compositi fieri ratio discreta coëgit:
Dissona materies et morbi causa repugnans,
Membrorum diversa crasis, violentia morbi,
Membri nobilitas, medicinae debilis actus,
Vel minus austerus et contristatio gustus,
Et conservandi maior meliorve facultas.
Cum nuce muscata cum mace et mastice sumta
Haec Yera fumosae damnat caliginis umbram;
Si stomachi certis pateat cacochymia signis,
Congrua per vomitum purgatio facta iuvabit.
Per summos cranii ductus si forte nocivos
Combibat humores oculus, Yera picra potenter
Purgat et exhaurit cerebrum purgatio talis,
Per crebras iteranda vices, sed post Diamannis
Detur et in vino puri decoctio thuris;
Fronte et temporibus, per quas decursio fiet
Rheumatis, aptetur venis sympasma repletis,
Si certis pateat ex sanguine plethora signis,
Ventosis eget in spatulis, et phlebotomiae
Postulat officium patiens venae capitalis.

1476) *Centauram miror* π; *centaureum minus* Ls. *Sicidosos mirabol'i* π; *sicidosos mirabolani* Ls.; quae duo ultima verba, sicut integrum versum antecedentem doctioribus emendanda relinquo; lectio *sicidos* (elaterium), *os*, *myrobalani* non bene quadrat. — 1480) Causae enumerantur, cur medicinis compositis utamur; cfr. Pauli Suardi thesaur. aromatarior. Lugduni, 1536. fol. f. 6 b. — 1482) *Metalleis* π, Ls.; *metall'is* μ; forsan *metallicis*. — 1489) *Minus* π, Ls.; forsan *nimis*. *Absterus* μ, π; *austerus* G. — 1492) *Famosae* Ls.; *fumosae* π. — 1493) *Poterat* π; *pot'at* μ; *pateat* G. — 1498) *Diamagnis* π, Ls. — 1501) *Apturae* Ls.; *apture* μ; *aptetur* G. *Sinpasma* π, Ls.; *si'pasma* μ. — 1502) *Poterat* π, Ls.; *pot'at* μ; *pateat* G., cfr. v. 1493. *Plectora* π, Ls. — 1503) Cucurbitulae apponendae sunt in scapulis. — 1504) Vena capitalis i. e. vena cephalica.

Si perpendatur cacochymia, Potio Pauli
Utilis et Blanca, Yeralogodion, Yera picra.
Si nequeat tantis mansuescere passio causis,
Plus quoque rheumatico pulsentur tempora motu,
Urere temporibus iubet aut incidere venas
Docta chirurgiae ratio, quam lex medicinae
Consiliis plerumque suis dignatur adesse:
Nec mores eius refugit meritumque profanat,
Carnificis licet infames declinet in actus. —
Si quia visibilis praesentia deficit aurae
Visus ad occasum declinet, myrobalanis
Conditis, Diamargariton, Pliris atque Dianthos
Dulcibus et teneris et restaurantibus escis,
Quas commendet odor et amoeni gratia gustus,
Pulsa nube novi radiet splendoris in ortu.
Cephalicis pilulata valet motumque doloris
Tollit hemicranei; colicis iniecta medetur;
Splenis onus relevat; paralytica membra reformat.

YERA RUFINI.

Fortiter afflictos scabie de phlegmate salso,
Quos lichenes alfique premunt, quos lepra salutat
Jam tacitis suspecta movens praeludia signis,
Hos Yera Rufini cunctis melius medicinis
Purgat et excludit vitium, morbumque repellit.
Si morbum cholerae fervor vel sanguis acutus
Intulerit, nullum facit haec medicina iuvamen,
Sed magis exacuit vires causamque doloris,
Ellebori quoniam duplici feritate superbit,
Et nimis austero desaevit acumine, causis
Se tantum gravibus accommodat: hac quoque raro
Arbitror utendum: sua namque frequentia laedit. —
Quos cholerae crasis informat, quibus algidus humor

1508) *Pulsetur* μ, π, Ls. — 1515) *Mirabolanis* π, Ls. — 1516) *Condicitis* μ, π; *conditis* Ls. *Diamargon* π, Ls.; lego *Diamargariton.* — 1524) *Lichines alsique* π, Ls.; lego *lichenes alfique*, cum alphus (αλφος) maculam albam leprosam seu vitiliginem designet. — 1531) *Ell'i* μ; *elliri* Ls; lego *ellebori.* *Feritate* Ls.; *f'itate* μ. — 1533) *Tamen* Ls.; lego *tantum.*

Disponit stomachum, caveant medicaminis huius
Contactum, ne vexet eos iniuria ventris.
In specie solida non danda est haec medicina,
Ne vis ellebori somni commota calore,
Dum male comprimeret ventosis motibus alvum
Stringeret amplexu vitalia membra nocivo:
Ergo magis danda est quovis resoluta liquore,
Provida quem causae ratio variare docebit;
Nulla superveniat oculis praesumtio somni,
Ne malus existat pravi symptomatis actor. —
Spleneticis confert tamarisci mixta liquori,
Foeda cutis leprae maculis inscripta malignis
Inde fricata suum revocat recipitque colorem. —
Subdita matrici cum musceleo resoluta
Menstrua mundificat, cursum quibus algor ademit,
Vel sua grossities vel quaevis causa sigillans
Ostia venarum, poris infixa supremis.
Si fluxum negat ariditas vel dura cicatrix,
Vel modicus sanguis non est haec causa salubris. —
Omnis Yera potens geminis servabitur annis:
Corruit in vitium, cum vult transire secundum.

EPILOGUS.

Fine libri clauso, portum tangente carina,
Quae toties somno vacuas studiique labore
Pervigiles multas traxisti sedula noctes,
Respirare potes et parcere, Musa, labori. —
Hos, pueri ac iuvenes, physicae quos Delphicus artis
Spiritus inflammat, curvatis pondere ramis,
Carpite maturos foecunda ex arbore fructus;
Venativa mali quaestus quos nulla cupido,
Nullus avaritiae stimulus, sed gratia sola
Ac divinus amor dare vos compellat egenti;

1537) *Contactum* π; *contractum* Ls. — 1538) *Solita* π, Ls.; lego *solida*, quia solidae speciei fluida (v. 1542) opponitur. — 1539) *Ell'i* μ; *elliri* Ls.; cfr. v. 1531. — 1545) *Ne* π. *Sinth'atis* μ: *sintheatis* Ls.; lego *symptomatis*. *Actor* π, forsan *auctor*. — 1548) *Calorem* π, Ls.; lego *colorem*. — 1554) *Causa* π, Ls.; forsan *cura?* — 1557) Inscriptio apud Ls., μ et π est *Prologus finalis*; G. reponit *Epilogus*. — 1558) *Totiens* π.

Cum data sit gratis; non debet gratia vendi,
Gratuito debent gratis accepta rependi:
Gratia curandi, quae mercenaria prostat
Et meretricali ritu venalis habetur,
Dum spoliare bonis aegros contendit egenos,
Se male gratificat et rem sibi nominis aufert:
His etenim gratis est impendenda salutis
Gratia: nam cuius de solo munere constat
Cuncta salus, precium cumulo maiore rependet.
Si tamen arcta tibi res est et macra facultas,
Secure potes externis pinguescere donis:
Divitiis Croesi pauper ditetur Amyclas,
Et Maecenatis relevet se munere Flaccus.
At si dives eris, si magnis rebus abundans,
Aegris pauperibus et munimenta medendi
Largius impendas, ut subsidiaria vitae
Dona pluas miseris, qui iustior est medicinae
Fructus et uberior; nulla ratione recuses
Quae tibi nobilium fundit praelarga virorum
Munera nobilitas: sua namque repletio solvi
Debet, ut ariditas foveatur pauperis aegri;
Interdum minuendus erit pro paupere dives,
Non ut Thais olens pretioso splendeat ostro,
Non ut in immensum surgat thesaurus acervum,
Non ut ob argenti meritum malus emtor honorum
Summos conscendas apices a Simone raptos.
    Pactio nulla liget aegrum, cui summa potestas,
Quem natalis et ingenuus illuminat ortus;
Nam si larga manus generi respondeat, apte
Sparget opes supra meritum, totumque laborem
Prodiga transscendet oblati gratia doni.
Nam licet ad dandum princeps surdescat avarus
Et tua sub domino spes orphana nutet avaro,
Ad summum celebris tamen est cultura potentis,
Et medicum splendere facit, quem ditat honore

1576) *Arcta* π; *aucta* Ls. — 1585) *Fundit* π, omisit hoc verbum Ls. — 1589) *Tais* π, Ls.; *Thais* G.

Et famae titulis omni potioribus auro.
Adiice, quod medicis summae cultoribus aulae
Lucratur domini foecundos gratia quaestus,
Et cumulat donis, multosque acquirit honores.
At tu privatos homines classique secundae
Addictos, opibus plenos quos publica testis
Fama probat, quos ingratos sententia vulgi
Arguit et meritis male respondere fatetur,
Ne laterem fortasse laves, ne semen in agro
Abscondas sterili, firmis vincire memento
Pactorum laqueis, quae si firmata tenore
Pignoris extiterint, ea roboris atque vigoris
Plus retinent, constantque magis nec lubrica fiunt.
Nuda fides fallit, acuit fideiussio lites,
In ventos promissa cadunt: sola pactio firmo
Pignore fulta tenet nec eam fallacia fuscat,
Dum dolor excruciat aegrum, dum maior in illo
Dandi fervet amor, se pignore pactio firmet.
Defervente mali motu gelidus recidivat
Torpor avaritiae: frigescit gratia doni,
Incipit et medicus gravis ac onerosus haberi,
Cuius opus minuit ingratus et improbat aeger
Et meritum attenuat, vacuumque recedere cogit.

1616) *Actio* π, Ls.; lego *pactio*, cfr. v. 1593, 1612, 1619.

Explicit Aegidii carmen
de laudibus et virtutibus compositorum medicaminum.

INDEX MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM ET COMPOSITORUM.

(Numeri referendi sunt ad libros et versiculos in Aegidii carmine de compositis medicaminibus.)

INDEX PONDERUM.

Liceat his addere sedecim versus memoriales antiquos ignoti auctoris, qui leguntur in Nicolai Praepositi antidotario maiori (Lugd. 1536. fol.), f. 21 b et in Saladini Asculani compendio aromatariorum (ad calcem opp. Mesues, Venet. 1562. fol.) f. 458 b.

Collige triticeis medicinae pondera granis,
Grana quater quinque scrupuli pro pondere pone,
In drachma scrupulus ter surgit multiplicatus.
Si solidum quaeris, tres drachmas dimidiabis,
Hexagium solido differt in nomine solo,
Aureus hexagio solido quoque parificatur.
Constat sex solidis vel ter tribus uncia drachmis,
Uncia pars librae duodena quis ambigit inde?
Si quaeras pondus quod habet sextarius unus,
Librarum quinque pondus debes mediare.
Cotyla sextario differt in nomine solo,
Continet heminas sextarius ut puto binas.
Ut fertur obolus semiscrupulus esse probatur.
Cetera mensurae non sint tibi nomina curae,
Nam quia sunt ficta sordescunt suntque relicta:
Non eris illusus si tenes, quod tenet usus.

INDEX NOMINUM AB AEGIDIO CITATORUM.

CORRIGENDUM.

Pag. 52. v. 131. **hoc** lege **hos**.